1043

NAZ.
ale III
V

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXIV
A
33
NAPOLI

A. 208

LXIV. A. 33

Digitized by Google

LXIV. A. 33

DISSERTATIO
HISTORICO-MEDICA
De ſaluberrimo Nuceriæ in Umbria erumpenti Latice:

ACCEDUNT

Complures Practico-Medicæ Obſervationes, ac Sanationes

AUCTORE

FLORIDO DE PLUMBIS

CONCIVE NUCERINO

Philoſophiæ, & Medicinæ Doctore.

Opuſculum non modo naturalis hiſtoriæ veſtigatoribus proficuum, verum Medicinæ etiam ſtudioſis, ob accuratam, quæ traditur Aqueæ curationis normam, ſatis utile.

VENETIIS,

Apud JOSEPHUM CORONA in Via Mercatoria.

SUPERIORUM PERMISSU.

MDCCXLV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D.D. ANNIBALI ALBANO

S. R. ECCLESIÆ CARDINALI
Camerario, ac Sabinenſi Epiſcopo

FLORIDUS PLUMBUS.

SI quid eſt in me ingenii, quod ſentio, quam ſit exiguum, aut ſi quid medicæ facultatis, in qua non inficior totum ætatis

meæ tempus eſſe verſatum ; aut ſi quam ex hac mea Profeſſione fructum percepi, quem ego confiteor maximum eſſe, hæc omnia profectò præclariſſimæ Urbini Civitati accepta referre debeo, in cujus perilluſtri Lyceo (quod Tibi Eminentiſs. Princeps tantum debet, quantum nemini) jam tum ab adoleſcentia tua liberalibus artibus operam pro viribus navavi, donec Doctorali Laurea in Philoſophia, ac Medicina fui decoratus. Itaque hæc quoque Diſſertatio mea, quam ſuper ſaluberrima Nucerini Fontis Aqua elucubratam litteris mandandam putavi, inter eoſdem ſtudiorum meorum fructus eſt recenſenda. Tota hujus mei conſilii ratio fuit, ut præſtantia, ac dotes ejuſdem Nucerinæ Aquæ jam notæ omnibus, etiam apud exteras Nationes ubique Terrarum parerent. At

non

non ne pateat etiam quantum hæc mea Patria tibi debeat, cum non ſolum juſſu, & opera CLEMENTIS XI magnæ, & felicis recordationis Patrui tui (quem nominare, laudare eſt) nova juxta eundem Fontem ædificia erecta, & vetera fuerint ampliata, ſed inſuper a fel. record. BENEDICTO XIII. ope beneficentiæ tuæ Chirographum fuit obtentum, quo vectigalia, ac ædificiorum redditus ad publicum hujus Civitatis bonum, ac commodum ſpectantia declarantur, & cum tandem ſub beneficentiſſimo Patrocinio tuo Civitatem hanc deferendam ſuſcipere non ſis deſignatus? Patebit profecto: Hiſce enim omnibus veluti neceſſitate quadam inductus eandem hanc Diſſertationem meam Tibi Eminentiſs. Princeps offerendam, dicandam, ac benigno ejuſdem magnæ Protectionis tuæ favo-

re ſulciendam putavi . Quare humillime Tuam, quæ maxima eſt, deprecor Clementiam, ut hanc tenuem licet, memoris tamen, ingenuique erga Te animi mei oblationem pro Tua ſingulari benignitate, ut ſpero, excipias . Sic Te Deus ſervet ad majorem Eccleſiæ felicitatem, & ad perpetuam Civitatis hujus Protectionem, ut hæc Tuo magno Nomine tuta erit Diſſertatio.

Nuceriæ Kalendis Aprilis 1745.

CAN-

CANDIDO
LECTORI.

QUas tibi hodie, Candide Lector, de naturali Aquæ Nucerianæ hiſtoria lucubrationes offerimus, tum prævius futuræ utilitatis ſenſus, tum impenſæ Amicorum efflagitationes peperere. Nonnullas uſque ab anno 1720. italico idiomate exaratas Obſervationes edideramus, quarum quidem nullus alius fuerat ſcopus, quam ut in eorum præcipue, qui quotidie Medicum accerſere, aut non poſſunt, aut nolunt, commodum cederent. At cum jam, pleriſque ab hinc annis, illius nulla prorſus libelli copia ſuppeteret, emendatiorem ac auctiorem adornare revolvebamus; ubi porrò ejuſmodi rumor increbuit, non ita pridem haud leves

complurium amicorum ad nos delatæ querimoniæ, quippe quas æquitas ſatis probaret, ab inſtituta animum ſententia abduxerunt. Inſtitutum noſtrum ea ratione expoſtulabant viri in phyſicis diſciplinis omnigena eruditione clari, ac mea proinde veneratione digni, quod ſcilicet italico ſtylo iterum concinnaretur opuſculum, quod latino idiomate, utpote quarumcumque Regionum eruditis probatiſſimo, juxta ac obvio, evulgatum iri conſultius ducerent. Eorum expoſtulationibus morigerus noſter ultro acquievit animus, rati idiomatis diverſitatem, quominus intentum ſcopum attingeremus, nullatenus prohibituram: quamvis enim nonnullis Italis haud latinè ſcientibus minus arrideat, longè pluribus tamen italicam linguam callentibus Opuſculum noſtrum gratum, & proficuum fore confidimus. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO.

VEtuſtam Nuceriæ in Umbria Civitatem, jam olim Romanorum Coloniam quinque milia paſſuum circiter ab Apenninis Montibus diſſitam alia humilioris altitudinis juga, quæ ab illis protenduntur, circumſtant, & obvallant: Inter cæteras Umbriæ Urbes una ex primis fuit, quæ catholicam fidem profeſſa, edocta fuit prædicatione D. Chryſpolti Epiſcopi Bittoni, ac Eccleſiæ Nucerinæ Adminiſtratoris, ab Apoſtolorum Principe, cujus ille erat Diſcipulus, in eam Provinciam miſſi anno Æræ Chriſtianæ 58. Indidem S. Fœlix Presbyter, ac S. Conſtantia Vidua originem duxere, qui anno Chriſti 69. ſub Neronis Imperatoris Præfecto teſtimonium Jeſu Chriſto perhibuerunt, ac Umbriæ Martyrum primitias proprio ſanguine conſecrarunt, de quibus Hiſtoricos conſulere poterit quiſquis voluerit.

Hæc dumtaxat ad inſtitutum noſtrum obſervanda veniunt, quod nimirum ea Civitas, adeo ſanitati accommodum, utidemque ſitum obtineat, ut illius Cœlum puriſſimo aeris nitro ſaginatam, noxias, quaslibet exhalationes, ac veſpertina quæque crepuſcula ſubmoveat, atque

pro-

prohibeat. Quod quidem ſicuti non parum influit, ut ſcaturientes inibi Aquæ perfectæ omnino ſint, ſic erumpentium aquarum ſalubritas aeris puritatem, ac tenuitatem evincit, juxta phyſiologicum illud *bonæ ſunt Aquæ*, *ibi bonus*, *ubi malæ*, *malus itidem eſt aer.*

Inter eas autem fere omnes ſalubres principem tenet locum Aqua, vulgò Nuceriana, cujus dotes, facultates, energiam, atque ſalubritatem aperiendam ſuſcipimus, eaque in cauſa fuerunt, cur nonnullis abhinc retro ſæculis hujuſce Civitatis Rectores, ejus ſcaturiginem a Peritis explorari, ac ſaxeis cryptis eductam, fiſtularum adminiculo in mediocrem redigi fontem, publicæ utilitatis, ergo impenſe curaverint. Nec tamen ſubinde e re nata ſedulitati, induſtriæ ac ſumptibus pepecerunt generales Umbriæ Moderatores, ut qui decentiori ornatu fontem illuſtrarint, prout obſervare eſt in marmoreo monumento ſuper fontem in ipſo magni Xyſti limine extructum, collocato.

Sedente Paulo V. Pont. Opt. Max.
Dominus Marinus Epiſcopus
Albiganenſ.
Peruſiæ, & Umbriæ Gubernator
Generalis
Salubrem hanc Aquam reipſa
Claram, hujus Fontis extructione
Clariorem reddidit Anno ſalut.
CIↃ IↃ CXI.

Increbeſcente autem in dies Nuceriani laticis fama, induſtriori adhuc ſtudio lapideos anfractus

fon-

ſontem veſtigare excogitatum eſt, nec quidem perperam; complura quippe quantumvis parca ejuſdem aquæ capita adinventa, ac e ſuis latebris educta, uberrimam nihilominus ſuppeditatura videbantur aquæ copiam, ſi qua ex variis hinc inde erumpentibus Rivulis diſpertiebatur, in lacunam affabre elaboratam cogeretur. Re, fauſto quidem exitu, concluſa, a ſalubri aqua tum hominum malitiam, tum exoticarum aquarum commercium propulſare, ac arcere una pene omnium mens fuit, atque conſilium; Utrique, amotis inducis, apto ſuper Lacunam fornice, ac circa eam valido muro extructis cautum fuit, aditu dumtaxat relicto, ferreis tamen clathris exquiſite obſeratis munito, ne curioſis quibuſque naturalis iſtoriæ indagatoribus quidpiam deeſſet, ſi qui ſcaturiginem ipſam quandoque propriis oculis introſpiciendi deſiderio tenerentur, quod utique honeſtis præſertim gentibus, accerſito Cuſtode, facillimum eſt. Unum dumtaxat deſiderari videbatur, quod nimirum, cum in aquæ Nucerianæ ſorbitione congrua regulariter inter bibendum deambulatio requiratur, accommodus ad deambulandum locus nequaquam ſuppeteret. At ſollicita ſummorum Pontificum munificentia quod deerat large ſuffecit; quandoquidem ſplendiſſimum, ac pene regium extrui Xyſtum ſive ambulacrum curarunt, a quo centum viginti novem in longum, in latum autem viginti romani palmi colliguntur. Epigraphes marmorea Tabula inſculptæ, ac ſupra Fontem locatæ tenor eſt:

Sa-

Saluberrimum hunc Fontem Alexandri
PP. VII.
Motu proprio, ab informi vetuſtate
Vindicatum,
Ac Porticum funditus erectum
Clementis IX. Pontificis munificentiſſima
Pietas
Auget, ditat, & ad perennitatem
decorat.
Poſit. A. D. MDCLXVII.

Conſequentibus porro annis cujuſque generis tum Virorum, tum Mulierum Fontem adeuntium ita celebritas increvit, ut propinquorum Pagulorum Ædes ad quoſcumque capiendos impare omnino eſſent atque adeo magnum Xyſto fontis adhærens Palatium, quod vetus appellant, extructum eſt, omnibus prorſus ad quemlibet Aquæ uſum numeris abſolutum. Ibi præcipue admirantur in infimo Palatii ordine quamplura ex lateribus conſtructæ Balneorum, & Ducciæ Conclavia, pluribus ornata labris, in quorum ſingulis bina inſunt ænea epiſtomia, quorum alterum calefactam, alterum frigidam emittunt Aquam; habentur inſuper inſtrumenta quæque ad quamcumque Ducciam aptiſſima.

Verum enimvero, cum nec iſtud tametſi amplum Hoſpitium ingenti ægrotantium, præſertim Nobilium numero ſuppetere compertum fuerit, Piiſſimus Pontifex Clemens XI. recolendæ memoriæ, ut ſubditorum ſanitati conſuleret, veteribus quibuſcumque ædificiis refectis, ac melioratis, aliud priori adhuc magnificentius extrui

juſſit,

juſſit, Palatium novum, vulgò nuncupatum, cunctis omnino pro Nobilibus, eorumque comitatu commoditatibus inſtructiſſimo; Eccleſia inſuper elegantioris ſtructuræ Palatii porticui adhærente, ne quid pietati deeſſet a fundamentis erecta. Quæ Eccleſia conſtructa eſt in principio portici, cujus extenſio in longitudinem numeratur centum ſeptuaginta ſeptem, & in latitudinem decem & octo Romanorum palmorum, adeo ut reſultet magnificum, atque commodum Ambulatorium.

Omnia iſthæc Ædificia abs dubio ſpectatæ conditionis gentibus ſatis eſſe comperiebantur, at quibus denariorum certa nimis erat, aut prope nulla ſuppellex, ac proinde nec datum erat utriuslibet Palatii partem conducere, nulla ſuppetebat inibi habitatio, ideoque ab effuſa piiſſimi Principis munificentia pauperes dumtaxat, qui nimirum vel coacta, vel voluntaria, votaque paupertate tenerentur, extorres videbantur. Sed non ita eſſe paulò poſt probavit eventus: quandoquidem magno Palatii veteris Ambulacro in ſublimius excitato, in excelſiori ſubinde ordine, cubicula viliori locanda pretio ſuperextructa ſunt, atque hocce pacto pauperibus, & plebeis perinde, ac nobilibus, & divitibus ultro proviſum.

Neque vero hic omittenda eſt ampla, duo inter Ædificia, protenditur Platea, in qua e ſecto confectus Lapide aſſurgit eleganter elaboratus fons, qui pluribus inſtructus ſalientibus in ſublime ſaluberrimas aquas ejaculatur, omnia

au-

autem circumſepiens decentis altitudinis colligit murus.

Sed quia ob nimiam Montium ſalebroſitatem, calles, & tramites, qui ad fontem uſque ducerent, infeſti penitus eſſent, ac Rhædis, Ciſiis, atque Pampillis impervii, naturali Montium aſperitate a Clementiſſimi Principis Providentia, devicta, confluentium commoditati æque, ac incolumitati proſpectum eſt. Ingentibus quippe præpedientium Montium excifis radicibus, pleriſque oppletis Terræ foveis, & hiatibus, atque demum exæquatis ſemitis ſpatioſa juxta, ac brevior quibuſcumque ſive Currum, ſive Ciſiorum adminiculo, fontem adeuntibus via ſtrata eſt, prout habetur ex marmoreo monumento medio in Xyſto recentis Palatii omnium oculis expoſito, in quo hæc leguntur.

Clemens XI. Pont. Max.
Eccleſia, aliiſve Ædificiis a
Fundamentis extructis
Antiquis amplificatis
Duplicis viæ aſpero lenito
Calle
Confluentium ad Saluberrimæ
Aquæ fontem
Commoditati proſpexit.
Joſepho Renato Cardinali Imperiali
Congr. Boni Regiminis Præfecto
Curante.
Anno ſalutis MDCCXVII. Pont. XVII.

Maximum demum ſupereſt recolendum beneficiorum, quo votorum apicem attigit Nuce-

rina

rina Civitas; ſummus quippe Pontifex memoriæ recolendæ Benedictus XIII. omnes, & ſingulos annuos redditus ex fonte, Ædificiiſque Nucerinis obvenientes, Nucerinis Civibus percipiendi ſpeciali Diplomate perenniter jus attribuit, procurante Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Eccleſiæ Principe Annibale Albano Cardinali S. Clementis dicto, Sabinenſi Epiſcopo Vigilantiſſimo, Nuceriæque providiſſimo Protectore, necnon Eminentiſſimo quondam Cardinali Imperiali benigniter ſuffragante, cujus beneficii gratia ſequens Nucerina Civitas in interiori magni Xyſti veteris Palatii Fronte perpetuum debitæ gratitudinis ex candenti marmore monumentum poſuit, exſolvitque.

Benedicto XIII. Pont. Max.
Quod Vectigal ob hanc ſalubrem Aquam
hauriendam
Annuaſque Penſiones ex Ædibus
Vectigali Pecunia extructis
Munificentiſſimo Diplomate A. D. 1728.
Die 27. Julii
Perpetuo Civium commodo addixerit,
Rogantibus
Joſepho Renato Card. Imperiali
S. C. B. R. Præfecto, Civitatis
Protectore.
Et Annibale Card. Albano
S. R. E. Camerario
Ordo, Populuſque Nucerinus
Æternum Grati Animi meritum poſuit.
A. D. MDCCXXVIII.

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore di Venezia nel Libro intitolato: *Diſſertatio hiſtorico-Medica de ſaluberrimo Nuceriæ erumpenti Latice; Auctore Florido de Plumbis Phil. & Medic. Doct.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a *Giuſeppe Corona Stampatore in Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 29. Maggio 1745.

(Gio: Emo Proc. Reff.
(Z. Alviſe Mocenigo 2. Ref.
(

Regiſt. in Libro a car. 7. n. 46.

Michiel Angelo Marini Segret.

DIS.

DISSERTATIO
HISTORICO-MEDICA
De Latice Nuceriano.

MAXIMUM ſanè humanæ Vitæ infortunium infinitis propemodum morbis oppugnatæ, maximus neceſſario conſequitur ad ipſam ſartam, tectamque ſervandam, & labor, & incommodum. Tot ſunt morbificæ hominis affectiones, tam vitio ſolidorum diverſimodè affectorum, quam pravitate fluidorum, quæ ſuis in principiis variè exaltantur, & quibus laudabilis, ac debita mixtio turbatur, ut ſemper vel inviti fateri cogamur, morborum, ac ipſius morbi occaſionem intra nos ipſos aſſiduè circumferre. Inopinato accidit, ut morborum diſpoſitiones inconſpicuæ in ipſo liquidorum morborum ſinu deliteſcentes a qualibet, vel levi occaſione in motu poſtea poſitæ, ac veluti ſuſcitatæ, proindeque a mixtionis vinculo exaltatæ, in apertas demum,

licet varias erumpant infirmitates. *Ineſt enim in homine*, ait egregiè Hippocrates, *& amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & infinita omnigenas facultates habentia, copiamque, ac robur; atque hæc ſiquidem juxta inter ſe temperata, nec conſpicua ſunt, nec hominem lædunt.* (*Lib. de vet. med.*) Cum igitur iſta ita ſe habeant, & de facto ſint veluti primigenia elementa, ac principia maſſam fluidorum componentia quouſque iſthæc in recta, & æqua ad invicem harmonia perſeverent, adeout unum aliud minimè excedat, homo in æquilibrio ſanitatis permanere dicitur; ſi quid unum autem a mixtionis vinculo exaltetur, prava fermentatio ſuccedat neceſſe eſt, ac proinde morbus. *Ubi verò*, pergit eo loci Hippocrates, *quid unum exceſſerit, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit.* Et adhuc clarius: *Fortiſſimum autem eſt*, inquit, *inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & in omnibus adeo rebus, vigor ipſe, ac ſummum.* (*Id. ib.*) Et verum eſt, acriores ſiquidem particulæ, quæ vel in fluidis hoſpitantur, vel ſolida impetunt, ac in ea impreſſionem faciunt, in ſua redduntur poſtmodum exaltatione conſpicuæ, & hinc variæ illæ, ac innumeræ, quæ obſervantur, morborum iliades. Ad comprimendam autem, atque ſubigendam ſalium illorum energiam, ac ad eorum nimis rigidum obtundendum, acumen concors Medicorum omnium, quibuscum infinita ferè experimenta conſpirant, vox clamat, omne ab alcalicis præſidium fore ducendum: Porrò inter

ſpe-

ſpecioſiora alcalica vix aliquid præſtantius in Medicina occurrit Nuceriana Aqua, quæ acida quæque tum oleoſa, tum ſalina feliciter omnino abſorbet vi bolaris cujuſdam Terræ, quam *Samiam* vocant, quaque abundè aquam illam ſaginatam, ocularis ipſa evidentia demonſtrat.

De hac igitur Aqua, ſi unquam aliàs ſaluberrima ſermonem facturi, ut aliquam hic nobis methodum præfigamus, juxta duplicem, qui fieri ſolet Nuceriani laticis uſum, internum ſcilicet, & externum, Diſſertationem iſtam in duplicem dividimus partem. In prima agemus de interno aquæ uſu. Secunda uſum illius externum exponet, ad cujus calcem obſervationum medicarum, atque ſanationum appendicem veluti parergon, adjiciemus. In hac autem digerenda opella ſtylum veritati, quæ nullum capit pretium, magis obſequentem ſeligimus, fucis quibuſcumque ac verborum lenociniis penitus amandatis.

PARS PRIMA.

De interno Aquæ Nucerianæ uſu.

INternum Nucerianæ aquæ uſum hic appellamus præſtitutam ad medicæ artis normam aquæ potationem. Sed antequam laudabilem atque utilem aquæ potandæ modum tradamus, ejus hiſtoria, minera, ac demum energetica vis, qua in pleriſque oppugnandis morbis tum aqua ipſa, tum minera maximè pollent, aperienda nobis erunt; quæ omnia tamen quatuor ſequentibus capitibus continebimus.

CAPUT PRIMUM.

De genuina Laticis Nuceriani hiſtoria.

VEra ac indubitata ſcaturiginis, inventionis, ac genericarum Aquæ Nucerianæ perfectionum notio, illius hiſtoriam breviter concludet.

§. I.

De ſcaturigine Laticis Nuceriani.

A Nucerina Civitate duo paſſuum millia circiter, in ortum, in meridiem diſtat Stra-

vignani Pagulus, in quo eo loci, vulgò *le Capanne*, perſpicua omnino ſeſe exhibet venuſta monticulorum Corona, qui aliud non ſunt, quam protenſæ Apennini divaricationes, a proceris tamen ipſius Apennini jugis quinque paſſuum millia, plus minus, diſſidentes, ac ſenſim exiguam deſinentes in vallem, quaquaverſum amœniter obumbratam: Huic dextrorſum ad meridiem in mediocrem aſſurgens altitudinem prominet Mons duriſſimo compactus lapide ſubrubeſcentis ex albido coloris. Ibi nullæ Arbores, nullæ Plantæ, frutices nulli radicem figunt, paucas ſi demas olentes herbas, ac raros juniperorum ſtipites, varie hinc inde ſegmentatam Montis ſuperficiem exornantes: Porrò ad hujus pene Montis radices, ejuſque inter lapideas ſtrias ea parte, quam æſtivo tempore exorientes reſpiciunt ſolis radii, quæque ejus meridionali aſpectu naturaliter protecta, ac inumbrata manet, leni ſtrepitu erumpit celebris Aqua Nuceriana, quæ ob compertam ejuſdem oppugnandorum morborum vim energeticam ab Incolis, finitimiſque Populis Aqua ſancta, Angelica, Virgo, & Alba fuit acclamata. Itaque è quatuor, aut quinque modico intervallo diremptis rivulis ſcaturientes hinc inde aquas congruens, & apta cogit Lacuna ſummo ad id ſtudio elaborata tum ut aquæ omnes, nec ſtilla quidem alio vergente, colligantur, tum ut exoticis aliis undis penitus occludatur ingreſſus. Et verè, res ita ad aptatum, felicemque exitum deducta eſt, ut cuilibet propriis oculis uſurpare liceat aquam illam ſemper limpidiſſimam,

in eademque permanere quantitate, atque adeo nec hyemali tempore decidentes aquæ Nuceriano Latici ſuppetias ferant, nec æſtivo tempore ſive exolutæ nives incrementum, vel minimum addant, ſive nimia ſiccitas quantumvis inſueta vel modicum afferat decrementum. Quæ omnia certe, ut diximus, evincit ejus nunquam interrupta limpiditas, ac ejus in ſcaturiendo quantitas utique invariabilis, & æqualis nunquam aucta, minuta nunquam. Cæteri quippe fontes, fluvii, ac rivuli quibuſcum intermiſcentur, vel pluviales aquæ, vel colliquefactæ nives, & glacies; præterquam quod quandoque nimia largitate exundant; quandoque affluens iis hæret Aquarum copia; perinde ut mutuatum externi humoris præſidium aut augetur, aut minuitur, a nativa identidem excidere puritate, ac perſpicuitate obſervantur; quod aquæ noſtræ qualibet anni tempeſtate nunquam accidiſſe certo certius eſt; ſicuti ipſe viginti, & ultra, ab hinc annis teſtis ſum ocularus.

Hinc fatiſcit omnino animadverſio eximii Viri fel. rec. Equitis Antonii Valliſnerii in Patavina Univerſitate Proto-Medici; qui errore facti, ſeu falſa informatione deceptus, ea affirmavit, quæ tam a vero abſunt, quam ab oculari inſpectione, ac proinde ab ipſa evidentia aliena ſunt. Ipſe quippe Author celeberrimus in Accademica quapiam Diſſertatione totis nervis contendit, ut adſtruat originem fontium, fluminum; ac rivulorum è Montium radicibus perenni, vel interrupto curſu effluentium a pluvialibus aquis,

ac

ac liquefactis nivibus, & glaciebus in Montium cacumine detentis eſſe repetendam, cum plerique prata, & campos, alii crateras, lacus, ſpeluncas, antra, & alia id genus contineant, in quibus facile ſtabulant ipſæ pluviales aquæ, nives, & glacies, quæ poſtea per poros, & ſtrata eorumdem montium transfunduntur ad eorum confinia, ac ſubinde ſub forma fontium, fluminum, rivulorum erumpunt, ſeſeque produnt. Ad hocce conſtabiliendum ſiſtema, confirmandumque, (de quo tamen hic nobis nec mens, nec locus eſt diſputandi) doctiſſimus Valliſnerius occaſionem nactus de ſcaturigine celebris Aquæ Nucerianæ loquitur, ratus, ſuam mox aperiendam obſervationem lemmati ſuo non parum præſidii allaturam: *Mi narrava* (inquit ille) *un degniſſimo Prelato, che fu gli anni ſcorſi a bere l' Acque di Nocera, che ſcaturiſcono dalle radici d' un Monticello, ſulla ſommità del quale è un picciol Lago: Eſſendo andata la ſtagione troppo lungamente ſerena, ſeccoſſi il Lago, ed il fonte cominciò tanto a ſcarſeggiar d' Acque che ſe non pioveva, e non riempivaſi di nuovo il Lago, affatto ſeccavaſi; Dal che ſi vede, non eſſer quell' acqua tanto ſtimata, che acqua piovana per una Terra pura, bianca, ed inſipida di cui abbonda quel Monticello dalla natura, come per vaglio, o ſpunga paſſata*. Hactenus eximius Profeſſor, qui talia procul dubio non fuiſſet effatus, ſi Montem illum, & ſcaturiginem ſuis oculis uſurpaſſet. Mirari tamen ſubit, qui fieri potuit, ut ab illo Præſule in Montis vertice Lacus ille effingeretur, cum non niſi oculis in-

digeamus, ad hoc ut Monticuli ſummitas propè acuminata, ac fere in conum deſinens conſpiciatur, ejus autem latera adeo acclivia, ut prona obſerventur, ut ſive decidentes aquæ, ſive exolutæ nives, & glacies, (quæ nonniſi per breviſſimum tempus attento orientali aſpectu inibi conſiſtunt,) ſtatim, & abſque ulla mora inferius dilabantur, tantum abeſt, quod ullus poſſit eſſe locus Lacubus, Antris, crateris, & ſpeluncis, ne multa, aquæ ſtationibus, & receptaculis a Domino Valliſnerio falſa quidem renunciatione ſuppoſitis.

Neque eſt, quod ſecretas Crateras, ſpeluncas & intra Monticuli Viſcera abſcondi, & latere quandoquidem eſto, quod tales eſſent; ſed quid tum in noſtra hypotheſi? Prorſus nihil. Compacta ſiquidem lapidei Montis durities non ſinit, ejus poros tam ſubito ab aquis penetrari, acclinis porrò & prona ipſius Montis ſtructura in conum deſinentis aquas prohibet ibi immorari, ad hoc ut ipſæ intra Terræ viſcera ſenſim, & notabili in copia transfundi poſſint.

Ex quibus patet, Virum Doctiſſimum commentitia hominum, ſeu melius, unius hominis relatione, quæ philoſophicæ veritatis cuilibet methodice ratiocinanti motivum eſſe nequit, abſque ſua culpa deceptum. Quamquam, quod advertas velim, nec Præſulem, etſi nobis ignotum, aliquo modo ſigillamus, multo minus ipſi falſitatis notam temere, & petulanter inurimus: Abſit. Hæc enim omnia facili negotio conciliari nobis poſſe videntur. Fieri quippe poteſt Præſulem illum

cum

cum Vallisnerio colloquia de ſuppoſito illo Lacu miſcentem, revera de Lacuna illa ad cogendas aquas artefacta, (quam dudum innuimus) fuiſſe locutum, abſque eo tamen quod altiori indagine animadverterit, an Lacus ille naturalis fuerit, an affabre elaboratus. Conjectura iſta tanto plenius provehitur, ac veroſimilior apparet, quod illuc adventantibus ſpectatæ conditionis Gentibus tanquam obſervatu digna lacuna illa oſtendi ſoleat. Si ita, inquam, ſe res habent, prout probabile admodum arbitramur, omnino fere conciliantur non minus Præſulis ſuggeſtioni, quam meritiſſimæ Vallisnerii, eo, quo poſſumus, modo, narrationi conſulimus, & quod caput eſt, ſuum merito veritati juxta, ac evidentiæ jus vindicamus. Hæc de Vallisneriana animadverſione ſatis, ſuperque.

Cæterum, ut unde divertimus redeamus, Aquæ noſtræ ſcaturigo adeo exuberans eſt, atque copioſa, ut ab ipſa 100. circiter Aquæ unciæ, noviſſima geometrica Lance a nobis tam exacte, quam fideliter excuſſæ, perenniter fluant; quod ſic demonſtramus.

Primus enim fons ſub magno Palatii veteris ambulacro extructus, ſex numero defert ſalientes æneos, quorum ſinguli quinque Aquæ uncias edunt. Triginta igitur fons iſte vehit Aquæ uncias,

Fons autem alter porticui jam laudatæ adhærens, quatuor habet æneas papillas, ſex Aquæ uncias ſigillatim fundentes.

Medias inſuper inter papillas oblongæ quadra-

guræ

turæ hiatus ad inſtar linguæ conſiſtit, non mediocrem Aquæ geometricè penſitatæ copiam, quadraginta nimirum circiter unciarum emittens.

Eminet ulterius alter fons media in Platea ad ejus ornatum induſtriè elaboratus, ſicuti & fonticulus prope palatium, quod quia, ut diximus, noviter fuerit extructum, novum appellant, à quibus quatuor adhuc unciæ erumpunt; quæ ſupra recenſitis copulatæ, inſimulque ſubductæ, octo, & nonaginta aquæ unciæ, ut patet inveniuntur.

A prædictis porrò Nuceriana Aqua fontibus digreſſa, & in unum coacta, non mediocrem conflat Torrentem, qui poſtea in adjacentem amnem evolvitur, ſicque celebri Nuceriano Latici ſuum cum virtute nomen perit.

§. II.

De priori Nuceriani Laticis inventione.

NIhil ſane moleſtius, ac difficilius in texenda Nucerianæ Aquæ hiſtoria mihi accidit, quam indubitatum judicium ferre, & epocham quamdam figere, qua certo conſtet, quiſnam primo, & quanam ratione aquam ipſam ſalubrem detexerit, abſque eo tamen quod incuriæ, & inertiæ Majores noſtros mihi inſimulare ſit integrum: Tot enim, tantæque retroactis ſæculis miſere huic noſtræ Civitati viciſſitudines, ac Dominorum mutationes contigerunt, (quemadmodum hiſtoriarum teſtimonio docemur,) ut nulli prorſus, quantumvis induſtrioſo, ac laboris patienti Viro felicem hac de re operam impendere

ſpes

ſpes affulgeat. Quid nos non egimus? quid intentatum reliquimus, ut e tenebricoſis oblivionis latebris hoc peculiaris hiſtoriæ caput erueremus? Induſtriæ ædepol non pepercimus, non labori. Archivia quæque cum publica, tum privata exploravimus, ſurſumque, deorſum convertimus, Chartas omnes publicis in ſcriniis, ac in privatorum ædibus aſſervatas rimati ſumus, atque verſavimus: Perperam tamen inſudavimus, incaſſum labores noſtros prodegimus, iterata quippe incendia, bellorumque vaſtationes nihil ad rem noſtram antiquius reliquerunt, quam monimenta quæpiam manuſcripta, alterum nempe Bernardini de Spoleto, alterum autem Bernardi Venantii de Terra Corinaldi, quorum primus Anno 1510. ſecundus Anno 1591. in hac Civitate medicinam cum laude exercuerunt.

Eo ipſo in ſæculo, anno ſcilicet 1599. Octavianus Matianus de Aſſiſio ejuſdem Civitatis Medicus brevem de Aqua noſtra Tractatum Peruſiæ edidit. Mentionem pariter de ea egerunt Alexius *a* de Auguſta, Amatus *b* Luſitanus, Gabriel *c* Faloppius, Andreas *d* Baccius, Michael Angelus *e* Andreolus Phyſicus Veronenſis, Georgius *f* Baglivi; Nemo autem meo quidem judicio, ita ſcopum attigit, ut Annibal Camilli Patritius Nucerinus, ac Philoſophus, Medicus, necnon publicus in Peruſina Univerſitate Profeſſor Botanicus, in ſuo, quem Peruſiæ Anno 1627. italico idiomate con-

---

(a) Lib. 2. ſum. 3. c. 5. (b) Cent. 1. curat. 5. (c) Lib. de Temper. nat. c. 6. (d) de Therm. l. 3. c. 3. & l. 6 cap 5. (e) Tract. de aq. & vin. nat. p. 6. (f) de veget. ſap. c. 3. p. 594.

concinnatum, Tractatu edidit; Ii porro, cæterique ſi qui ſunt, Authores varie argumentum iſtud pertractantes, etſi in unum omnes colliment, quod nimirum Nuceriano Latici validam aſſerant facultatem tum in morbis oppugnandis nimia acidorum copia productis, tum in obtundendo virus acumine, ſive per halitum, ſive per ictum Viperæ, Bufonis, & ſimilium injecti, vix tamen quotquot ſunt verbum faciunt de primæva hujus Aquæ inventione. Ea propter, paucis, quæ a memoratis Authoribus libare licuit, veluti prælucenti face uti coacti ſumus, ut inolitam incolarum, vel Ruſticorum grandioris ætatis, in quibus ſimplex ut plurimum hoſpitatur veritas, traditionem exploraremus, & quidquid ipſi ea de re a ſuis Majoribus acceperint, & ipſi acciperemus, ſicque ſcriptorum authoritatem cum incolarum traditione veritatis capeſſendæ ſtudio, conſuluimus.

Re itaque, ex ſententia confecta, brutis Animantibus Aquæ noſtræ virtutem primo innotuiſſe, ac plurimum profuiſſe invenimus; Quoties enim vel Canes, vel alia prope Nucerinum Fontem incolentia Animalia, veneficorum Reptilium morſu ſeſe vulnerata ſentiebant, in proxime fluentem Rivulum mira celeritate accurrentes, non modo illius Aquæ potationi largius indulgebant, verum & projecto in aquas corpore, confixum membrum eatenus effundebant, quoad activitate virus ſubacta, e fonte abſque ullo penitus detrimento emergerent. Sedulo id pluries, rem dumtaxat demirati obſervarunt Ruſtici, donec eorum unus viperino dente morti-

fere

fere ſauciatum, ac jam enormiter tumefactum brachium Nucerino fonte immerſit, mediocri etiam addita Aquæ potatione. Mirum! Aliquanto poſt lividus ſenſim evaneſcit tumor, ſuuſque denique brachio redditur, & ſtatus, & color.

Porrò evulgata, prout facile ſibi quiſque ſuaſerit, Aquæ virtute, hujuſce curationis fama brevi finitimorum etiam Populorum aures implevit, tuncque adhuc mirandi Laticis magis aucta gloria, cum pleriſque aliis eodem infortunio correptis expetitam per aquas opem ad integram uſque valetudinem nanciſci licuit: Tum verò Aqua illa vulgò Sancta, Virgo, Angelica vocitari cœpit, qua hodiernis Stravignani degentibus ruſticis nullum magis obvium, ac tutius contra veneficos morſus remedium occurrit.

Illud denique haud minori, ut credimus, eſt admiratione dignum, quod nimirum Jumenta, quibus, ad tranſvehendas hic illuc Nucerianas Aquas Villici noſtri uti ſolent, etſi nullatenus adæquata, ac proinde impatienti ſiti æſtivis diebus urgeantur, quos tamen obvios habent, ac trajiciunt, fontem aditura, rivulos, ac fluviolum, nec ſummis quidem labiis attingunt, quæ poſtea ubi ad ſalubrem fontem acceſſerint, ipſum exhaurire velle videntur, quod quidem ſicut certiſſimum eſt, ac noſtralibus ferme omnibus exploratum, ita non modo plus æquo cavilloſos nonniſi ægre Brutis hujus Aquæ inventionem deferentes revincit, verum, & generaliores ſaltem illius perfectionis, naturæ teſtimonio, omni præcluſa exceptione ſuadet, de quibus tamen fuſius agetur.

§. III.

§. III.

De genericis Aquæ Nucerianæ dotibus, quæ eam perfectiſſimam conſtituunt.

ETſi nullum aliud, quam mox relatum, pro præſenti argumento teſtimonium ſuppeteret, profecto inconcuſſæ ſtarent Latici Nuceriano generaliores ſaltem perfectiones, & dotes animalium inſtinctu, hoc eſt ipſius naturæ vocibus aſſertæ. Verum prætermittendæ nullatenus hic nobis ſunt nonnullæ obviam venientes phyſicæ rationes.

Primò quidem generatim aquarum perfectionem maxime ab ipſa ſcaturigine, quæ ad orientes æſtivi ſolis radios vergat, jure optimo colligunt Medici: *Maximè verò*, (inquit appoſitè Hippocrates *a*) *laudare eas aquas oportet, quarum fluxiones ad ſolis exortus, præſertim ad æſtivos erumpant.* Ea autem prærogativa gaudere Nucerianum fontem perſpicuum omnino eſt, & ſuperius obſervare licuit.

Secundò: *Præ omnibus aquis*, (ſcite ait Ettmullerus *b*) *ſaluberrima eſt ea, quæ effluit ex fontibus ex ſua origine inter lapides, & ſaxa, quoniam in talibus locis eſt puriſſima, & nullis particulis heterogeneis, & inimicis referta, ſordibuſque terreſtribus inquinata.* Hæccine porrò adamuſſim Nuceriano fonti congruere quis ibit inficias? Quin adhuc aquæ noſtræ puritatem, & limpiditatem apprime confirmat facilis ejus turbatio, cum

a *Lib. de aq. aer. & loc.* b *Lib. de aq. miner. p. 322.*

eum ſcilicet corpus aliquod heterogeneum cum ipſa intermiſcetur, tunc enim a nativa excidere perſpicuitate obſervatur: *Salubris eſt ea*, (pergit eo loci Etmullerus mox citatus) *quæ clara eſt, & pura, quia intermixta perſpicuitatem non parum turbant, quo enim clarior, eo eſt purior, quo purior, eo ſalubrior.*

Tertio; Aquam noſtram ex particulis mollibus, ac tenuioribus conſtare certum eſt, idque non unico evincitur effectu, tum ſcilicet, quod humanæ cutis ſuperficies ab hujus laticis effuſione mirum in modum mollis, ac veluti unctuoſa reddatur; tum ex eo, quod aqua ipſa ad quaſcumque recipiendas ſive caloris, ſive frigoris impreſſiones, facilis omnino ſit, & accommoda, ut vel calorem, vel frigus incredibili facilitate exuat; & inde eſt, (ut etiam adnotavit Hippocrates,) quod hujuſcemodi aqua leviſſima eſſe debeat, & reipſa ſic noſtra ſe habet, non quidem levitate ponderis, prout imperitum vulgus exiſtimat, ſed ex eo, quod excedenti etiam copia epota, in hypocondriis ob ſuam ſubtilitatem minus moretur, ac poros, meatus, præſertim urinarios, cæteroſque quantumvis exiles corporis anfractus facile ſubeat, ac proinde per univerſam fluidorum quorumcumque maſſam leviter, tametſi mira celeritate, diffundatur.

Itaque cum laudabilis ſcaturigo, compacta ſaxei cribri durities, ac exiliores ipſius Aquæ moleculæ ea præcipua ſint attributa, quæ perfectam cujuslibet Aquæ indolem retegunt, concludendum eſt, perfectiſſimam omnino eſſe Nucerianam

Aquam

Aquam præfatis dotibus a Naturæ Authore, quam largiſſime auctam: Peculiaris autem Aquæ Nucerianæ incorruptibilis dos eſt diutina ejus, ac fere perpetua incorruptibilitas, non modo ob incredibilem ſuarum partium exilitatem, verum & ob plurimas in ea hoſpitantes bezoarticas particulas, ut ſuo loco videbimus, quarum ope aqua noſtra ad infinitas propemodum annorum ſeries incorruptibilis perſeverat, proindeque tametſi in longinquas Regiones tranſvecta, ſua tamen nullatenus exuitur facultate, prout etiam ipſe teſtatur Andreolus Veronenſis Phyſicus: *Nucerianæ Aquæ*, inquit, *ex Agro Romano adductæ, exportatæ inutiles non fiunt, metallicæ enim non ſunt, ſed terram Samiam potiſſimum continent*. Obſervatus dumtaxat poſt plures Annos tenuis ſuæ mineræ portio tum in vaſorum fundis ad inſtar fæcis ſubſita, tum ad Lagenarum parietes ad modum ſublimationis adacta; ex quo certe haud minus, quam ex quadam evaporati Tartari ſpecie, quo aſſidua ignis actione concava lebetum, balneis inſervientium ſuperficies obducitur, Aquam noſtram minera illa affatim ſaginatam aperte liquet.

Illud quidem cautum eſſe Emptoribus volumus, quod nimirum Lagenæ vitreæ, ſeu chryſtallinæ in cera rubra obſignatæ eſſe debeant eo, quo utuntur, ſigillo ad fraudis quaſcumque amoliendas Aquæ Inſpectores, juxta Leges a Nucerinæ Civitatis Rectoribus ſancitas; quin haud modica illius quantitas ad ſolemnes Senogalliæ Nundinas tranſvehi ſolita, publicæ adhuc ſyngraphæ teſtimonio munitur.

Caveant

Caveant adhuc quibus eamdem Aquam quandoque transfundere opus eſt, ne lagenas, aut vaſa adhibeant, quæ unquam vel vinoſi, vel ſubtiliores, vel quoquomodo olentes liquores tetigerint, alioqui fere è veſtigio corrumpitur, tetrum afflans odorem.

CAPUT II.

De minera Aquæ Nucerianæ.

AQuæ Nucerianæ hiſtoria breviter prælibata, ac proinde generalioribus adhuc illius perfectionibus expoſitis, de ejus minera, & conſequenter de peculiaribus ipſius dotibus, quę eam ſaluberrimam conſtituunt, differendum ratio non minus, quam ordo poſtulat. Igitur ipſius mineræ tum naturam, tum qualitates duobus ſequentibus paragraphis breviter expendemus; quibus etiam tertium de quopiam tartaro ex Nuceriana minera reſultante, appingendum duximus.

§. I.

De indole, ac natura Mineræ abunde in Nuceriano Latice hoſpitantis.

PRæter eas, quas poſſidet cæterarum aquarum communes dotes, peculiaribus quoque, ac ſibi propriis perfectionibus eminet Nucerianus Latex, cui nonniſi ob mineram in ſuo ſinu deliteſcentem quamplurimum facultatum in morbis

oppugnandis obvenit emolumentum. Tanti itaque intererit altiori indagine Mineram naturam explorare, quanti Aquæ vim, & facultates obſequi refert.

Nonnulli arbitrati ſunt, illius aquæ mineram eſſe Terram lemniam cum portione ſmaragdi: Ita cum pluribus cenſet Octavianus Mariani ſupralaudatus.

Alii cum præclariſſimo Georgio Baglivio pariter citato aliter ſentiunt: *In provincia Umbriæ*, inquit, *ditionis Eccleſiaſticæ celebris eſt Aqua Nuceriæ ita dicta, quod non longe ab Urbe Nuceria nobili fluviolo excurrit: Aqua eſt magnarum virium in morbis curandis, & humoribus acribus ad dulcedinem reducendis. Fundus Aquæ albo bolo, ſive candida Terra conſtat, ex qua peculiari artificio elicitur verum argentum, ſed magna cum impenſa, ut fide digni Sacerdotes, & oculati Teſtes mihi narrarunt. Eam igitur Aqua per argenti Mineras excurrere probabile eſt, hinc eximia ejus virtus.*

Verum uterque, & quotquot cum ipſis ſentiunt abſque dubio falluntur, tametſi Baglivius propius ad veritatem accedat. Ex repetitis quippe diſtillationibus ſpargiricis, ac analyticis experimentis incredibili patientia feliciter tentatis, contra iſtos aſſerere cogimur, nec inibi Terræ lemniæ, nec ſmaragdi, nec particulæ alicujus metallicæ, neque proinde argenteæ portionem ullam, vel minimam contineri. Quamquam nec facile inficias iverim candidam illam Terram fortaſſe indigeſtam, rudem, & informem quampiam argenti matri-

matricem eſſe, ſua tamen, ob neſcio quas fortuitas, ac officientes cauſas, maturitate, ac perfectione carentem. Illud ut diximus, tuto aſſerimus, Mineram illam quavis vel minima metallica particula expertem eſſe.

Itaque cum Annibale Camilli jam ſuperius laudato, qui revera ſcopum attigit, concludamus neceſſe eſt, genuinam, atque legitimam Aquæ noſtræ mineram nihil aliud eſſe, quam Terram ſamiam, a pleriſque bolarem dictam, quæ colore eſt candida, tactu mollis, levis, ſuccoſa, friabilis, & glutinoſa, adeo ut linguæ, vel labiis adhæreat, eaque eſt, quæ innocenti ſuo connubio Nucerianum Laticem ipſa affatim redundantem ita fœcundat, atque ſalubribus quibuſque facultatibus ditat, ut ſine ipſa perfecta quidem ad ſitim extinguendam, ſed ad morbos depellendos impos haberetur, & eſſet. Procul hinc igitur vulgares, & imperiti homines, qui amplioris laticis noſtri famæ comparandæ ſtudio per argenteam fodinam labi, ac cum ipſa commiſceri cauſantur, quod certe putidum eſt commentum: Illud propterea firmum, ratumque maneat, Aquam noſtram nullo pacto, mineralem eſſe, aut nuncupari poſſe, ſed dumtaxat ſemimineralem ratione Terram illius ſamiæ, ſive bolaris, qua ad redundantiam uſque affluit.

§. II.

De qualitatibus, & attributis Nucerianæ Terræ.

CElebrem de hacce noſtra Nuceriana Terra uſque ab Anno Jubilæi 1700. Tractatum edidiſſe Aloyſium a Fabra Ferrarienſem Philoſophum, in Accademia ſuæ Patriæ Medicinæ Profeſſorem magis notum eſt, quam ut adnotare oporteat. Difficile dictu eſt quantum diligentiæ, laboris, & induſtriæ in experimentis tentandis, in analyſi perficienda, ac demum in ſingulis quibuſque vel minimis ad ſeveriorem trutinam revocandis impenderit vir, ut ſi quis alius eruditiſſimus hujuſce Terræ qualitates exploraturus. Ea propter ab illius Tractatu vere aureo profectum noſtrum feciſſe, eoque Authore in experimentis manu noſtra iteratis, atque ad votum concluſis, tanquam Duce uſos, lubentes fatemur: Dedecet enim, cordatum, frugique Virum tanquam plagiarium, traduci & inſimulari.

Quamplurimis igitur experimentis edocti, aſſerere cogimur primo, Mineram, Terramve noſtram ex puriori alkalino ſale conſtare, quo mediante acida quæque obtunduntur, & abſorbentur, nulloque pacto a vera, & germana Galeni Samia differre, quin validioribus adhuc viribus inſigniri. Secundo, Terram ipſam principem tenere locum inter cruſtacea, ſemimineralia, ac edulcorantia.

Et ve-

Et verò duo potiſſimè, prout advertit præcitatus Fabrius, in abſorbentibus requiruntur, ut perfectiſſima dici queant, & revera ſint; alterum ſcilicet, quod efficaciter agant in primis viis; alterum, quod facilius in fluidorum maſſam ferantur, quibuſcum ſubinde ſolidas partes pervadentia, vitioſum quodlibet agens a vitiatis circumeuntibus ſuccis invectum, ac bibulis ſolidis inhærens abſorbeant, infringant, educant: ſed ad hæc præſtanda nonniſi alkalini ſales ſufficiunt, ideoque eo perfectiora habentur alkalica remedia, quo in ipſis & purior, & uberior alkalini ſalis ſuppetit copia; Nucerianam porrò terram uberrima, puriſſimaque hac eſſe penu ditatam, ac proinde cruſtaceis omnibus nedum Galeni Samiæ antecellere, complura mox aperienda experimenta invictè demonſtrant, & luculenter probat pluries laudatus Fabrius.

Primum igitur experimentum cum aceto acerrimo, & malorum tum citreorum, tum binæ ſpeciei aureorum, uſualium ſcilicet, & Luſitanorum ſuccis ſic tentatum fuit. Internis quibuſque ſingulorum liquorum unciis vitreis in ſcyphir ſejunctim appoſitorum, binas Nucerianæ terræ nullatenus in pulverem ſolutæ drachmas affuſimus: nulla ferè interjecta mora exili quopiam, crepitantique ſibilo, perinde ac viva in aquam injecta calce, ingens tam in ſuperficie, quam in univerſi liquoris ſubſtantia exſuſcitatur effervescentia, quæ ad extremam uſque terræ ſolutionem perdurare conſpicitur. Spectabiles quoque tum temporis fiunt exigui complures ſubtilioris, ut arbitramur,

mur, materiei globuli ab illius maſſa excluſi, ac in liquorum ſuperficiem perniciter abrepti, quorum haud minus, quam ebullitionis ope, albida, atque copioſa ſuccreſcit, ac attollitur ſpuma, qua tota demum candeſcit ſuccorum moles: porrò poſt integrum circiter horæ quadrantem, cujus dimidiam partem jam prætrivit inſignior lucta, liquores conquieſcere, terra in fundis vaſorum ſubſidente, cernuntur. Itaque aceti ſcypho in primis ſedulo, explorato liquor, in cujus ſuperficie, ut diximus, ſpumoſæ ac tenuiſſimæ ſupernatabant bullulæ, haud amplius acetum ſed vinum vapidum, ac ſubacidulum ſapiebat, claro, flavoque colore in plumbeum, ac ſuboſcurum immutato: ſubſidens autem, & exſoluta Terra, & ipſa in ſuperficie, ſpumoſa, cinerea apparens, terreoque ſapore non plane exuta, non modicam aceti auſteritatem imbiberat.

Quoad cæteros tum citreorum, tum aureorum malorum ſuccos longe acrior iſtorum, quam aceti cum Terra, lucta obſervata eſt, qua demum ſedata, liquores auſteriore acido denudati, in ſuperficie vel ipſi ſpumoſi aquæ colorem & ſubacidiuſculum, ut cæteri, ſaporem referebant; Terram autem ad Vaſis fundum delapſam citreorum acrimoniam pluſquam ſenſibiliter hauſiſſe compertum eſt. Percolatis iterum ſuccis unica denuo affuſa Terræ drachma, poſt levem pugnam ad octavam brevioris horæ partem perductam omni penitus aciditate exuti, ac aqueum ferme reſipientes ſaporem liquores ipſi inventi ſunt.

Nuceriana Terra cum præfatis liquoribus ſic ten-

tentata, eam conferre opus fuit cum cæteris alkalinis medicaminibus, ut inde notum fieret cuinam præſtantior adſcribenda foret edulcorandi facultas; Porro poſtquam alkalica quæque magis obvia, Concham nimirum Margaritiferam, Cancrorum oculos præparatos, Terras vulgò dictas tum ſigillatam, tum ſelitianam, tum ſiculam, tum melitenſem, necnon tam præparatum, quam limatum Cervi cornu, ac demum corallia in ſingulis quæque vaſibus cum laudatis liquoribus, de more, tentavimus, margaritifera dumtaxat Concha, non abſimili, ac Terra noſtra, modo tametſi remiſſius in liquores nonnihil aciditatis ſubtrahendo egit, Terra autem ſigillata, ſicula, necnon corallia, ac Cervi cornu vix ſuas prodiderunt actiones, ſicula, ſive Diaboli, ut vocant, Terra excepta, quæ tam ſero, quam languide agere viſa eſt. Ea propter ipſa evidentia duce conſtat, Nucerianam Terram in iis profligandis morbis, qui a conſimili aceti, malorum citreorum, ac aureorum aciditate promoventur, efficaciorem eſſe, quam cætera cruſtacea ſemimineralia, ipſamque puriore alkalino ſale affatim ditatam, proindeque validiſſimum eſſe abſorbens, & edulcorans concludamus neceſſe eſt.

Verum enimvero, ut magis magiſque illius a nobis aſſerta efficacia, ac mira activitas confirmetur, eam ſicuti & cætera cruſtacea ſemimineralia, cum validioribus acidis cum ſpiritibus nimirum ſulphuris, Vitrioli, Nitri, ſaliſque ammoniaci tentavimus hoc fere modo. Ternis ſpirituum quorumcumque drachmis, ſingulis in ſcyphis ſepoſitis,

Nucerianæ Terræ ſeſquidrachmam injecimus, e veſtigio tam violentum ſpiritus inter, & Terram diſſidium exſuſcitatum eſt, effervescentia tanta, ut permixta cum liquoribus Terra in ingentem ſpumam vaſorum pene oras exeuntem attolleretur. In ammoniaci tamen ſpiritu aliter ſe res habuit, remiſſior quippe fuit motus, pugna minus acris; nulla inſuper obſervata fuit ſeparatio, ſed tum Terra, tum liquor ad invicem adhæreſcentes, ſpumoſam, craſſam, ac glutinoſam in maſſam coaluere. Cæteris eodem modo ſemimineralibus tentatis, margaritifera Concha dumtaxat Nucerianæ Terræ prope ſimiles protulit effectus.

Sumptis ſubinde prædictis ſigillatim ſpiritibus, necnon aceti, ac malorum citreorum, aureorumque ſuccis, hiſque ſingulis tanta Aquæ fontis quantitate adjecta, quanta in ſummo acida prægustabatur, Nuceriana poſtmodum Terra de more immiſſa, inſignior illico exorta eſt lucta ad ſemiquadrantis horæ ſpatium protracta, & liquores omni penitus colore, ac acidorum auſteritate caruerunt, ſubſidens autem Terra gratiſſimam dumtaxat aciditatem, ſicuti & ſupernatans priſtinum tuebantur colorem.

Haud abſimili modo ſemimineralibus excuſſis, & exploratis, Cytheriaca ſolummodo Concha perfectiſſima in ſpiritu vitrioli, (tametſi in reliquis ſpiritibus remiſſius egerit) ex æquo cum Terra noſtra ſtadium obtinuit, Cancrorum vero oculi in vitrioli ſpiritu minorem Nucerina Terra, ac margaritifera teſta efficaciam prodiderunt; in cæteris

teris autem liquoribus fere parem, dum ſemimineralia cætera prope nihil effecerunt.

Hiſce tentatis experimentis (non diſſimulandum) unica ſupererat evacuanda, ſane non contemnenda quæſtio, quæ in eo præciſe ſita erat, an ſcilicet, iſthæc Terra ad medicæ artis normam propinata inferret, necne in Vetriculum ſubſidentiam, ſaltem quoad magis terreas, craſſioreſque moleculas. Verum hæc difficultas penitus eliminatur practica hacce, & evidenti demonſtratione.

Nonnullis ad plures horas jejunio afflictis animalibus, Agnis nimirum, Cuniculis, Catuliſque lactentibus, præfata omnia cruſtacea ſingula ſingulis fuere propinata, ac ſubinde ſectis quorumcumque Animalculorum ventriculis Terra Nuceriana, ac ipſi affinis Cytheriaca teſta dumtaxat, non modo nullam in Ventriculi tunicis, ac finibus ſubſidentiam feciſſe, quin ulterius in duodenum, & jejunum inteſtina tranfuſæ inventæ ſunt. Ex quo liquet, Nucerianum cruſtaceum per lactea Vaſcula in univerſam liquidorum maſſam effluere, atque ab ea in ſolidas adhuc partes transferri, prout Periti quique experiri poterunt.

Cum igitur cæteris quibuſque ſemimineralibus, & cruſtaceis, uti demonſtravimus, ingenita ſua activitate præemineat Nucerina Terra, quæ nullam in Ventriculi tunicis ſubſidentiam linquat, atque ſola ſemper efficax cum quolibet acido, vel auſteriore, tentata inveniatur. Ex cæteris autem cruſtaceis, pleraque prorſus inutilia experta ſint, nonnulla etſi validiora, atque Nucerinæ Ter-

ræ

ræ affinia, cum diverſis tamen acidorum ſpeciebus congredientia, inæquales vires exeruerint, concludendum venit cum laudatiſſimo Fabrio; Nucerianam Terram uti univerſale edulcorans, ac præſtantiſſimum abſordens ſemimineralibus cunctis, atque cruſtaceis, ut plurimum adhuc fucoſis, antecellens, in medicinæ uſu præferendam, quippe quæ potiſſima præpolleat facultate in morbis evertendis a quolibet acido utcunque inductis, puta ab acido-oleoſis, acido-ſalinis, acido-aqueis, & demum ab acido-amaris, proindeque ab acido pancreatico, amaroque ſucco epatico in inteſtinis ſimul mixtis, ne plura; Nullum, quod, ſciamus, innoteſcit acidum, quamvis rigidum, & ſilveſtre, cujus acies, & aſperitates non mulceat, retundat, abſorbeat. *Ingentem* (appoſitè ajebat toties laudatus Fabrius) *hunc inimicum, acidum, Terra Nuceriana majori vi, quam cæteræ Terræ, & Cruſtacea ſubegit; quid certius inquiritur de elatiſſima ejus facultate pro evertendis morbis a ſimilibus cauſis promotis? ſumma enim eſt abſorbens, ac dulcificans, & præter hanc ejus evidentiſſimam facultatem, aliæ quoque ſunt eidem concedendæ particulares aſſignatæ virtutes, e minera ſua deſumptæ, quibus quæcumque cruſtacea carent, per quas tum in maſſa ſanguinea, tum in, & circa ſolidas partes morbificas cauſas infringere, debellare, ac evertere valet.*

§. III.

§. III.

De quapiam Tartari ſpecie ex Nucerina Terra reſultantis.

EX Nucerina Terra quædam ducitur Tartari ſpecies, de quo adhuc præcitatus Aloyſius a Fabra Tractatum edidit prælaudato Anno 1700. illumque variis experimentis diligenti anatome exploravit, quæ a nobis ad trutinam revocata, cuncta Fabrii animadverſionibus conſona deprehendimus: Rem autem omnem paulò altius repetere juvat.

Apud Nucerinum fontem æſtivis diebus plures, & quidem prægrandes inſtructæ ſunt æneæ Lebetes in quibus dieque, noctuque aqua noſtra aſſiduo fervens igne per artefactos ſubinde Canales ad balnearia labra veluti ſua ſponte dirigitur. Porro Terræ moleculæ ipſa in Aqua ubertim hoſpitantes, aſſidua ebullitionis, ac evaporationis ope concuſſæ ſcinduntur, & attenuantur, attenuatæ autem, & ſciſſæ, ac proinde ſubtiliores, ac volatiliores effectæ a craſſioribus, ac ramoſis, quæ adhuc ſuppetunt particulis irretiuntur, & implicantur, ex quo accidit, quod ex utriſque diverſimode configuratis, ſed inſimul concretis moleculis, communis quædam exurgat Maſſa, quæ Tartari ſpeciem induens, lebetum fundo, ac lateribus adhæreſcere cernatur, itaut tota iſthæc materies, uti diximus, ſic concreta, ſubalbida, duriuſcula, aſperior, aliquantulum ſubacidula, den-

dentes quodammodo exaſperans, & fere cryſtalli-zata appareat. Hujuſce autem Tartari vires, & facultates ex mox dicendis experimentis aperientur.

Primo quidem obſervabile eſt, quod in communem Aquam una cum ſpiritibus Vitrioli, aut Nitri, horumque ſimilium hocce injecto Tartaro non pulverato nullus penitus effectus obſervatus ſit, at ubi in Aquam ſpiritu Tartari acidulatam, Nucerinus Tartarus immiſſus eſt, ſolutionem demum cum aliquo crepitu obtinuit.

Secundo. In eundem Tartarum exacte pulveratum prædictis ſpiritibus affuſis, maxima exæſtuatio, copioſaque ſpuma amaram veluti amygdalum redolens exſuſcitari, & efferri viſa eſt. Sedata ſubinde lucta, liquor aciditatem omni exutus, maxima ex parte in ſpumoſam, craſſamque materiem diviſus abiit, ſpumoſa, innatans, ac vaſis parietibus adhærens, amariuſculum, abſque ulla aciditate, ſaporem referebat. Craſſa autem, imo vaſi hærens in duas adhuc partes diviſa inſpiciebatur, ſuperior ad inſtar fluidi, ac lactei cryſtalli lactis candorem retegebat, ſubamarum reddens ſaporem: Infima vero, quæ in imo vaſe ſubſidebat exigua veluti arena candida, rigidior tamen, ac durior, quam antea obſervata eſt, (tametſi non tam rigida in vitriolato liquore apparuerit,) ac ſubacidiuſculum referebat ſaporem.

Ulterius in Tartarum probe attritum calida projecta Aqua cum præfatis liquoribus permixta, illico ingens ſpuma maxima cum efferveſcen-

tia

tia excitata eſt, amaræ adhuc amygdalæ odorem efflans: Ebullitione autem quam citiſſime ſedata, per univerſam liquoris maſſam ſurſum, deorſum percurrentes obſervatæ ſunt albiſſimæ quæpiam ad inſtar veſſicularum bullulæ; liquor autem ſub-acido-amarum ſapere inventus eſt.

Itidem ſi Tartarus nullatenus vel leviter contuſus in acetum acerrimum injiciatur, nulla prorſus erit fermentatio, ac diſſolutio, quin rigidior, aſperior, ac violaceo tinctus colore apparebit, ſi autem ſedulo atteratur, maximam ebullitionem, ac tenuiſſimam ſpumam ciebit, ac ipſe rigidior, & aſperior evadet, aceto tamen nativum ſuum colorem, & aciditatem dimittente. Alia etiam experimenta cum aceto feliciter tentata fuerunt, quod ſemper ſua aciditate exutum obſervatum eſt.

Verum nec hic omitti poteſt inſignis illa, ac furibunda prorſus exæſtuatio a mali citrei ſuccis Nucerino Tartaro ingeſtis excitata. Spumoſus quippe liquor brevi ſupra vas eminere viſus eſt. Effervescentia autem remiſſa ſuccus aqueum colorem induens, omnino edulcoratus remanſit. Hic pariter tenuiſſimæ, lacteique coloris, exilientes bullulæ, totam quaſi liquoris maſsam occupantes apparuere.

Denique huicce Tartaro nec deeſt peculiaris illa, qua gaudet Nucerina Terra, facultas in ventriculi tunicis nullatenus inſidendi; eiſdem quippe, quibus Terra, tentatus experimentis, nulla ipſius in ſectis Cuniculorum, & Catulorum lacten-

ctentium ventriculis reperta eſt ſubſidentia, atque adeo ipſa experientia duce, pro certo, ratoque habemus, Nucerianum Tartarum e primis viis per galaxiam in univerſam fluidorum maſſam tranſmeare, prout etiam bene multis, ut aſſolet, congeſtis rationum momentis demonſtrat laudatiſſimus Author; Cum quo tandem ex demonſtratis deducimus, eumdem Tartarum, ex medicæ artis norma propinatum non acida modo quæque primarum viarum infringere, ac abſorbere, verum & (quod quidem mirabile) in lacteum liquorem abire, ac in ſanguineam maſſam affluere, proindeque ipſa Nuceriana Terra fortaſſe in acidis evertendis validiorem eſſe, ut qui præcipue volatiliores alkalinæ mineræ moleculas coerceat, atque contineat.

CAPUT III.

De morbis, quibus certiſſime occurrunt tum Terra, tum Aqua Nuceriana.

NAtura, & qualitatibus vel Terræ, vel Aquæ Nucerianæ, ſatis, ni fallimur, exploratis, quibuſnam præcipue morbis utraque occurrant, nunc nobis expendendum ſupereſt duobus diſtinctis paragraphis, tertio pro capitis, veluti coronide adjecto, in quo inquiremus, num ſolito judicii fundamento nitantur quorumdam ſcrupuli, Aquam noſtram nullatenus venerea lue affectis congruere, autumantium.

§. I.

§. I.

De peculiaribus morbis, quibus certiſſime medetu Nuceriana Terra Samia.

QUam cætera inter cruſtacea ſemimineralia in acidis debellandis præſtet Nucerina Terra, pleriſque propoſitis experimentis, jam in ſuperioribus obſervare licuit; At quia alior etiam evertendi morbos novas in dies in hac terra facultates experientia retegit, prout apparet ex edita a nobis Necepta, quæ cum Terra ipſa ad exteras plagas tranſmittitur, non abs re nos facturos putamus, ſi morbos indicabimus, ad quos curandos ea uſi ſumus.

Notandum igitur, eam tam efficaci, quam prompto fuiſſe adjumento pleriſque Provinciis peſtilentiali febri correptis. Itidem miræ eſſe utilitati experti ſumus putrida, ac maligna febri laborantibus, in quibus paſſim ipſam felici ſane exitu propinavimus, ſive additis alterantibus, decoctione ſcilicet Cornu Cervi, in aquis ſcorzoneſiæ, Cardui ſancti, oxalidis, vulgò acetoſæ, ac ſimilium, ſive in bolos redactam cum hyacintina compoſitione, aut Fracaſtorii diaſcordio, juxta exigentiam, quibus in caſibus ut plurimum per ſudores, vel urinas, ſeparatione promoveri obſervavimus: Febri autem intermittenti affectis die critico propinandam curantes, ſudores conſecutos animadvertimus, ob eam, abſque dubio, qua pollet vim bezoarticam, ita ut Bezoar pauperum eam vocitare nobis arrideat.

Ad.

Ad virus autem quodcumque tam in humano, quam in Brutorum Corpore compeſcendum nihil præſtantius in tota forſan medicina occurrit Nuceriana Terra; ſive enim per ictum Viperæ, Scorpionum, Aranearum, ſive per halitum, ſpumam, aut urinam Bufonis injectum ſit, ſive in ſtomachum ſit trajectum unica Terræ drachma, generoſo, ac optimo affuſa vino propinetur: Paulò poſt nauſeæ libido inſurgit, vomituſque plerumque ſuccedit, quo ſequuto, iterum, eodemque modo propinetur Terra, idque eatenus repetendum, quoad vomitione coercita ſtomachus conquieſcat.

In ventriculi indigeſtionibus ab exceſſivo acido promotis, ſive cum juſculo ſimplicibus ſtomaticis alterato, ſive in priore pulmenti cochleari ſumatur, ſuave eſt remedium.

Ulterius in diarrhæis bilioſis, atque ſeroſis propinata cum alterantibus, ac in potionibus appropriatis, ſuperfluas aciditates, & acrimonioſa fluidorum maſſa educens, priſtinam alvo continentiam inducit. Acido autem dyſſenterico præcipue medetur, præſertim cum iterata ſalgamorum roſaceorum ſumptione adhibita, necnon addito clyſteris uſu, Terra ipſa idoneo diluta liquore inſtructi ſumus.

Itidem torminis afflicto, vel vomitu mirifice opitulatur, neque minus contra Vermes Infantium præſens eſt ſubſidium, eamque perſæpe, & quidem feliciter noſtræ Mulierculæ ſuis Infantibus, vel in vino, vel in ipſa Nuceriana Aqua, vel in friati panis pulte miniſtrant.

Ad immodicos tum albos, tum ſanguineos Mu-

lierum

ſierum fluores plurimum confert, præmiſſis tamen præmittendis, præſertim ſi fluor ſit tantiſper inveteratus, ac uterus aliquo modo in ſua ſit organica ſtructura vitiatus, tunc enim prævius requiritur Aquæ Nucerianæ uſus tam internus, per potum nimirum ſumptæ, ſed egelidæ, ac cum terra commixtæ, quam externus, ſcilicet & per balneos, & per ducciam adhibitæ, cujus tamen ſumendæ modum ſuo loco trademus.

Eodem modo, præmiſſis, ut mox diximus, præmittendis, ſubvenit gonorrhææ benignæ, ac etiam gallicæ, dummodo Veſicæ collum non ſit admodum in ſuis partibus ab acrimonia vitiatum.

Præterea affectiones quaſque hypocondriacas, ſcorbuticas, hyſtericas, nefriticas, necnon vitiatas, pancreatici, & amaro-epatici ſuccorum fermentationes, quæ ſubinde cum in ventriculo, tum in adhærentibus inteſtinis ſeſe ingerentes inibi etiam morboſas ejuſmodi productiones excitant, mirabiliter corrigit.

In Sanguinis ſputo cum ſalgamis roſaceis hauſta præſtans eſt remedium, ſicuti etiam ſanguinis fluorem compeſcit, ſi cum Aqua aceto acidulata, applicetur.

Pituitoſis adhuc affectionibus vel cum inflammatione conjunctis optimè congruit, cum alterantibus tamen, ac pectoralibus decoctionibus commixta.

Denique ambuſtis, porrigine, vulgò Tineæ, ac tibiarum ulceribus medetur, ſi ex ipſa terra linimentum cum oleo roſaceo conficiatur, & applicetur: In hiſce tamen ulceroſis morbis longe

efficacioris eſſe virtutis Nucerianum Tartarum quam exacte pulveratum, appropriatiſque linimentis dilutum, non ſemel obſervavimus.

Atque hæc ſunt, quæ de Nucerianæ Terræ facultatibus multiplici experimento comprobatis, nobis innotuere, nullatenus tamen ambigentibus, quin quamplures adhuc in ea vires, quæ hactenus obſervationes noſtras fugerunt, retegendæ ſuperſint.

§. II.

De præcipuis morbis, quibus indubitanter occurrit Nuceriana Aqua.

NEdum æqualibus, ac Terra, ſed etiam validioribus pollere viribus obſervata eſt Aqua Nuceriana, a qua tot in morbis debellandis, tamque miri uſque producuntur effectus: ut ad prodigia pene accedere videantur: At hic ſtatim non mediocris inſurgit difficultas ipſo in limine enodanda. Dicet quippe aliquis: Si Nucerianus latex vim omnem, ut certum eſt, a Terræ Samiæ minera, qua affatim ſcatet, deſumit, profecto ipſi mineræ efficacior deputanda videtur energia, potius quam Aquæ, juxta illud: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Reſpondemus, non ideo quæ clare innoteſcunt neganda eſſe, vel quia ignoratur, vel minus deprehenditur eorum agendi ratio; ſufficiat, quotidiana nobis experientia conſtare, Aquam Terra validiorem eſſe, tametſi exquiſitiore analyſis ope minera illa dumtaxat ſagi-

ſaginatam evidentiſſimum ſit; Quamquam nec congruæ deſunt rationes; Aqua ſiquidem ſubtiliores, ac volatiliores, & conſequenter magis alkalicas excipit Terræ particulas; fieri itidem poteſt, quod in terræ moleculis, ob diuturnum cum Aqua optime filtrata, proindeque ſubtiliſſima connubium, non modo majori in copia recludantur, atque dehiſcant pori verum & eædem particulæ molliores, ac flexiliores, atque adeo ad acida quæque abſorbenda promptiores, & aptiores reddantur.

Itaque, ut unde divertimus redeamus, jam in ſuperioribus obſervatum fuit, Aquæ noſtræ efficaciam in venenis oppugnandis priſticis temporibus primitus innotuiſſe, idque, ut ſæpius diximus, ob ſuæ Mineræ virtutem, bezoartica natura præditæ; *Convenit illis* (inquit appoſitè ſupralaudatus Bernardinus de Spoleto *in MS. Nucer.*) *qui timent potionem venenoſam, dum ipſa eſt in ſtomacho liberat eum a morte, vomendo illam... Convenit etiam*, (pergit idem Author) *morſui Viperæ, & aliorum Animalium venenoſorum, & Canis rabidi, & hæc ſi bibatur, vel membrum læſum in eamdem immergatur*. Hinc, ut ſuperius innuimus, ruſticanæ gentes, ubi inflictum ſit, vulnus a viperino dente, aliove Animali animadvertunt, ſi non procul a Nucerino fonte degant, ad ipſum accurrentes, membroque læſo aquis infuſo, ibique eatenus retento qua tumor abſcedat, fere extemplo ſanantur; Si qui autem procul abſint, optatum haud minus quam promptum a Nucerina Terra, ut obſervatum eſt, auxilium ducunt.

Præterea acidum hypocondriacum, ſcorbuticum, hyſtericum, complicatis etiam convulſionibus, vel obſtructionibus hepatis, lienis, & meſenterii appoſite corrigit. Ictero, cachexiæ, & hydropi, dummodo tamen abrupta minime ſint lymphatica interna vaſcula, & ante Aquæ uſum, quæ præmittenda ſunt præmittantur, mirabiliter medetur; in hiſce autem caſibus hauſta Aqua non ſolum per urinæ meatus, ſed & per ſeceſſum ſibi exitum parans, per iteratas egeſtiones, excrementitiam quamdam viſcidamque materiem, a viſceribus abdominis decerptam ſecum educere obſervata eſt. Nec pariter his in morbis præter Aquæ potationem complura balnea omitti debent.

In febribus malignis, bilioſis, & intermittentibus largius epota, naturæ ſuppetias ferendo, ſeparationes leniter promovet per ſudores, urinas, atque ſeceſſum.

Mulieribus fluore albo fluentibus, dummodo morbus non ſit adeo antiquatus, utendum eſt Aqua cum modicæ Terræ parte commixta, in priori dumtaxat potatione. Quod ſi ex morbi antiquitate de aliqua in internis uteri tunicis læſione ſubſit ſuſpicio, ad Ducciam omnino recurrendum eſt. Eadem adhibenda venit curationis methodus fœminis, quæ immodicis ab utero fluoribus vexantur. Itidem non modice congruit Mulieribus ſterilitatem, vel frequentiores abortus ob nimium ſanguinis fervorem, & acrimoniam, patientibus, unde evenit, ut organica Uteri textura plus æquo tenſa, rigida, & exſiccata tam concipiendo,

quam

quam fovendo fœtui impar evadat. His, inquam, Mulieribus expedit tam internus, Aquæ nimirum tepefactæ per potum uſus, quam externus, per balnea ſcilicet, & Ducciam; Aquæ ſiquidem egelidæ potatione ſanguinis fervor enervatur, excedens ſilveſtrium ſalium copia diluitur, & abſorbetur; Ducciæ autem, & balneorum ope Uteri tunicæ molliores, laxiores, ac minus corrugationis tenaces evadentes, ad decentem, aptumque profectæ fœcunditatis ſtatum adducuntur.

Promptum adhuc eſt remedium in diarrhæis bilioſis, atque ſeroſis; lienteria, & dyſſenteria cum Terra ſimul hauſta, quin craſſorum ulcera inteſtinorum clyſterium ope ex aqua ipſa cum portione terræ confectorum, mirifice extergit, ac ad perfectam uſque cicatricem adducit; ſicuti etiam in nauſeis, ac vomitionibus bilioſis, acidis, ſanguineiſque, necnon in ipſa ſanguinis expuitione, ac denique in inflammationibus, ſemper cum terra Aqua admixta, ſi fortaſſe non uſque efficaciſſimum, præſervativum ſaltem remedium ſemper agnoſcitur.

Ad urinæ difficultatem, ardorem, ſtillicidium, diabetem, veſicæ, & renum ulcera optime confert.

In ambuſtis, & contuſionibus linteola aqua ipſa madefacta iteratis vicibus applicantur.

Efficaciſſimum denique eſt remedium in cutaneis quibuſque affectionibus, puta elephantiaſi, herpetibus tam exedentibus, quam milliaribus, antiquis ulceribus, aliiſque ſimilibus; hiſce tamen in caſibus, tam per potum, per balnea,

atque Ducciam aqua adhibeatur: De his plura in appendice.

§. III.

An uſus Aquæ Nucerianæ per potum ſumptæ venerea lue affectis congruat.

NOn defuerunt, qui neſcio qua rationis ſpecie adducti omnem adhibuere conatum, ut aquam noſtram venerea lue laborantibus penitus noxiam, nedum inutilem eſſe obtruderent. Væ ſane Nuceriano latici, ſi hujuſcemodi afflicti morbo ipſa uti prohiberentur, adeo enim dira iſthæc labes retroactis ſæculis, ſed potiſſimum ævo noſtro longe lateque ſævit, atque graſſatur, ut nullus, auſim dicere, inveniatur homo, teterrimi hujuſce fermenti penitus expers: Quandoquidem plurima eſt hominum turba, qui luem illam ab impuro hauſerunt contactu: Non pauci, novimus, ſe ex integro ſanitati reſtitutos credunt, ſed quam turpiter hallucinentur, ipſa probat ſæva labes, quæ identidem ex intervallo ſub ementita ſaltem alterius cujuſpiam morbi ſpecie immitius recrudeſcit.

Alii adhuc ſunt, tametſi bene pauci, qui conjugali complexu mutuo inficiuntur, quamvis antea venereæ luis ambo protinus expertes, nec alia ſuppetit rationabilis aſſignanda ratio, quam naturalis quæpiam inter utrumque Conjugum ſanguinem diſcordia, ac heterogenea ſalium acidorum ſtructura, qui a nimio Veneris uſu ultra

quam

quam par eſt in motu poſiti occaſione acrioris colliſionis, aſperiori adhuc donantur ſuperficie, & acumine, unde ſubſequitur in congrediendo, mutua utriuſque fluidorum inquinatio, aut levis organorum læſio, quandoque etiam utrumque. At hujus generis morbo, nullatenus tamen antiquato, tam perfecte, quam facile, poteſt occurri.

Alii adhuc, tametſi cœlibes vivant, adverſo tamen ſydere morboſa iſta hæreditate a reis parentibus cum vitiato ſemine inſontes accepta, ubi adoleſcunt, ſub ementita aliorum minus notæ indolis morborum larva ægre mulctantur.

Alii denique lue iſta adhuc puelluli a ſuis Nutricibus inficiuntur, qui proinde perrarò adoleſcunt, ſed fere omnes in Cunabulis pereunt, conſtat ergo, neminem fere eſſe, qui uno, aliove modo ab celticæ luis fermento ſit immunis.

His præmiſſis, ut expendamus, num Aqua iſta hujuſmodi morboſis congruat, ſat erit venereæ labis ideam penitus explorare. Neminem autem ambigere arbitramur, venereum morbum ſuum haurire principium ab acidiore quopiam ſale ſuapte natura eroſivo, qui per impurum contactum in partes naturaliter ſpongioſas, raras, & laxas transfunditur; tales ſunt glandulæ genitalium, tonſillæ, palati, linguæ, gingivarum, narium, uberum, ac ſimilium, in quibus ſucci naturaliter acidi, (qui lymphatici appellantur) excribrantur, & ſeparantur, & in quibus perpetuo ſibi firmat ſedem celticum fermentum; unde fit, quod lymphaticus ſuccus natura ſalſo-aci-

dus morboſo illo fermento admixtus, & implicatus, auſteriorem nanciſcatur acrimoniam, & apprime eroſivus evadat, tum ob pravi fermenti, ut diximus, connubium, tum ob in dies læſam glandularum texturam, & inde eæ prodeunt, quæ obſervantur, exulcerationes, & unitatis ſolutienes in Carne; Addendum, quod per aſſiduum fluidorum circuitum per glanduloſa illa corpora interfluentium, paulatim utique, ſed perpetuo liquores ipſi exoticas exedentium ſalium decerpant, ac exportent particulas, quibus ſenſim tota etiam ſanguinea maſſa vitiatur. Hinc etiam variæ illæ ſymptomatum impreſſiones, quorum nonnulla ſive per coagulationes, ut ſunt bubones, tuberculi gummoſi, tumores &c. ſive per eroſiones, prout ſunt ulcera quamplurima, dilacerationes, ſinus fiſtuloſi, ſcabiei, aut herpetis, & alia id genus, manifeſtantur.

Porro conſiderata venereæ labis idea nemo non videt, huicce morbo, quantum fas eſt conſulere tum Aquam, tum Terram Nucerianam, in acidis quibuſque edomandis efficaciſſimas, requiritur tamen methodo quam exactiſſima curationem dirigere, eamque præter Mercurialia, & antimonialia a ſpecificis decoctionibus auſpicari. Cum enim poſt hæc etiam adhibita medicamina quidpiam aciditatis in glandulis, ac liquidorum maſſa ingreſſum uſque ſuperſit, Authore dicente: *Adhibitis ſpecificis miteſcit* (lues venerea,) *ſed non extinguitur*, idcirco reſidua aciditas tam interno, qam externo Aquæ Nucerianæ uſu corrigenda venit.

Si qui

Si qui vero ægri venereo morbo elaborantes, complicatis fortaſſe rheumaticis doloribus afficerentur, a balneorum uſu omnino abſtenti, a Duccia (quatenus opus ſit,) ac ab aquæ cum Terra admixtæ potatione præſidium ducant, ſic enim quamplurimis æſtivo tempore ægrotis fauſto ſane exitu quotannis curationem adhibuimus.

CAPUT IV.

De recta ac medica Aquæ Nucerinæ potandæ norma.

TEmpus, modus, quantitaſque aquæ Nucerianæ potandæ, ac denique obvia quædam regula nonnullis medendi vexationibus, & incommodis in ipſo aquæ uſu contingere ſolitis, congruum, atque medicinæ legibus conſentaneum illius potandæ modum aperient.

§. I.

De congruo, aptoque tempore, quo ſumi debeat Aqua Nuceriana.

ANni æſtivum tempus, illudque eo felicius quo magis ſudum, Aquam Nucerianam ad remedium potantibus apprime arridet; ideoque regulariter a medio Junio ad totum uſque Septembris Menſem aquarum uſui indulgere utiliter quiſque poteſt; dixi *regulariter*, quandoquidem evenire aliquando ſolet (prout reipſa con-

tigit

tigit Anno 1739. quo præcox nimis æſtas ineunte Junio, quam maxime efferbuit) æſtivum ardorem, ſtatos ſolemnes Menſes antevertere: Si quos autem noviſſime ad aquas epotandas accedentes effecta jam æſtate inopportune ſubalgens tempeſtas caperet, gravioribus adhibitis indumentis, prope ignem, ac aeri penitus præcluſo aditu, potationis tempus traducant. Quod ſi plus æquo intemperies increverit, ab aquarum uſu erit eo anno temperandum.

At ſicuti non omnes, ut diximus, Anni Menſes ſalutari aquarum uſui congruunt, ſic ne hora diei quælibet arridet.

Ergo exoriente ſole aquæ potatio exordienda erit, ac intra horam ad ſummum per intervalla, ut ſuo loco videbimus, abſolvenda, idque non modo ut omnia, potatio nimirum, balnea, & prandium aptis ſint diſtributa temporum ſpatiis, ac inter iſta requiſitæ, & congruentes intercipiantur moræ, verum & quia matutina tempeſtas ad hujuſcemodi curationem plurimum confert; Hinc patet, quam ſit eorum deploranda conſuetudo, qui non mediocrem noctis partem ſub ſpecie fallendi temporis, inter ludendum ducentes inſomnem, ac fere ſub mediam noctem cubitum euntes e lecto exſurgunt, ſole paululum in meridiem devexo, unde ratione temporis inverſa, neceſſario conſequitur, quod ſalutaris œconomia curationis maxima cum purgantium pernicie perturbatur. Quid poſtea mirum ſi Nucerianos Latices hujuſmodi purgantes minus ſalutares, & efficaces experiantur?

§. II.

§. II.

De modo Aquæ Nucerianæ ſalubriter epotandæ.

OBſervandum primo, juxta morborum exigentiam totius corporis expurgationem vernalibus menſibus ineuntibus præmittendam, ut ea mediante putri egeſta cacochylia, necnon quoad ejus fieri poteſt, pravis fermentationibus, ac univerſæ Maſſæ liquoribus emendatis, ultimæ, ab aqua alkalino ſuo ſale ingerendæ, ac perficiendæ modificationi via præmuniatur.

Obſervandum ſecundo, omnes morbos eadem penitus methodo curandos, particulari ſiquidem infirmitati, peculiaris adhuc reſpondere debet medicinæ adhibendæ ratio. Nonnulla igitur tum de generali tum de particulari dirigendæ curationis methodo animadvertenda ſunt.

Primo itaque generatim priori curationis die matutinis horis placidiſſimo quopiam leniente primas vias expurgare opus eſt, prout ſunt ſyrupus roſaceus aureus, violaceus, emulſio ſolutiva ex manna, Flores Caſſiæ, vel eorumdem ſalgama, vulgo Conſerva, vel aliquod Electuarium ex paſſulis, vel Diatartarum Petri Caſtelli; nonnullis magis adhuc arridet Magneſia alba, aliaque id genus. Poſt binas circiter horas inſulſum juſculum ad pondus unius libræ propinetur. Excrementorum ejectione conſequuta, ad magis recludendas, diluendaſque ventriculi, & Inteſtinorum

vias,

vias, largus Nucerianæ Aquæ egelidæ potus concedatur. Aliis duabus circiter elapſis horis prandium ſumatur. Succeſſiva ſubinde die ſtatuta hora bibatur aqua, ad trium ſcilicet librarum pondus. Sequentibus autem diebus congrua in dies augeatur aquæ quantitas ad octavam uſque diem, qua elapſa eodem ac auctum fuit ordine poculum minuatur; Poſt duodecimum vero, aut quartumdecimum diem uno ad exigentiam ex levioribus lenientibus iterato, aquæ parcendum erit.

Secundo animadvertendum eſt, non unico dumtaxat hauſtu totam Aquæ quantitatem, ſed paulatim, interpolate, ac iteratis vicibus ebibendam, itaut unius horæ, ac etiam, ſi opus ſit, ſeſquihoræ ſpatium in ea haurienda inſumatur. Inter potandum autem quoniam ab Aquæ copia facile ventriculus concluſis flatibus intumeſcit, ac tantiſper divexatur, paucis ſacchareis aniſis, vel citrinis ſeminibus identidem poſt ſingulas potiones adhibitis, fere nulla erit ſtomachi moleſtia: Ambulationi inſuper tum temporis libenter indulgeant purgantes, ac jucunda cum Amicis colloquia miſcentes hilari eſſe animo ſatagant, quibuſque mentis curis, præter quod credi poteſt, ſanitati officientibus, penitus ablegatis.

Tertio eo tempore, quibus eſt opus, balneis operam dare, iis uti poterunt, ſed nonniſi poſt notabilem aquæ egeſtionem, ac ſervatis regulis quoad balnea ſuo loco tradendis. Quinque autem, vel ſex circiter, poſt Aquæ ſumptionem, horis elapſis, ideſt ubi urinæ priſtinum nactæ ſunt colorem, ſeſe prandio nonniſi cibis a nobis inferius

aſſignan-

aſſignandis inſtructo, Purgantes reficiant. Cœna brevis, quin breviſſima eſſe debet, de qua etiam ſuo loco. A ſomno caveant ii præſertim, quorum viſcera pravis fermentationibus, ac congeſtionibus farcta noſcuntur. Hæc de univerſali curationis methodo generatim dicenda occurrunt.

Cæterum quia particularibus, ut diximus, infirmitatibus peculiari adhuc modo occurrendum eſt, pauca hæc animadvertenda duximus.

Primo igitur ſedulo obſervandum, an morbi ſint chronici, adeout nedum in liquidis, ſed & in ſolidis vitia deliteſcant, ac in illis nimium excedens acrimonia, in iſtis non leves vitiatæ, ac exoticæ congeſtiones notentur. Hujuſcemodi ſunt obſtructiones hepatis, lienis, meſenterii, uteri, icterica affectio, & alia id genus, in quibus prævia expurgatione aquæ Nucerianæ uſu, acriores ſilveſtrium ſalium particulæ obtunduntur, & abſorbentur, ſicuti & balneorum ope ſolidæ partes ultra quam par eſt rigidiores, ac tenſiores effectæ, ad nativam adducuntur mollitiem, & flexilitatem, atque ita debitum reſtituitur fluida inter, & ſolida æquilibrium. Itaque hiſce, ac in ſimilibus morbis in prima ſorbitione unicam, vel duplicem adhibendam arbitramur Aquæ libram, medicatæ præcedenti veſpere cum contuſis graminis radicibus, vel aſparagorum, Rutæ, Capparis, Anonidis, Angelicæ, & ſimilium juxta eas, quæ a morbis deducuntur indicationes. Tali epota medicata aqua, Alia aquæ quantitas nullatenus commixta, ſed tantummodo leviter tepefacta ab ægroto ſumenda erit, cui

etiam

etiam intermedio aquæ injectionis tempore, fomentationes ſpongiis eadem bene calenti Aqua madefactis, in hypocondriorum viſceribus applicare opportunum erit: E lecto ſubinde ſurgat, ac placido motu refectis membris, poſt duas circiter horas balneum ingredi poterit, dummodo aliunde nullatenus prohibeatur.

Secundo pluries obſervavimus, a bilis ſuperfluitate, ſive potius cachexia biliosa patientes valde emaciari, quandoque etiam capitis dolore, perturbatione, vertiginoſis adhuc motibus, necnon ſibilo quopiam, ac aurium obtuſo ſenſu affici; Aliquando etiam tertianis febribus tentari, quo in caſu ægrotus, præmiſſo ut moris eſt, leniente, minorem prioribus diebus tepefactæ aquæ quantitatem in lecto ad prandii uſque horam decumbens, trajiciat; ſucceſſivis autem diebus, quibus aquæ quantitas augeri ſolet, ipſam minori in copia per ureteres transferri, ſed majori ex parte a ventriculo per inteſtina, & ſeceſſum demandari animadvertimus, & ideo ut plurimum copioſa ſingulo mane apparebat viſcidæ, & amurcoſæ bilis excretio. Quod ſi fortaſſe in aliquo ſuppoſito talia ſordida excrementa nullatenus ſegregentur, & egerantur, tunc quarta quæque, vel quinta die unica ante cœnam hora tenuis ſalgamorum Caſſiæ, aliuſve electuarii doſis ab ægroto ſumenda erit, ut ſic epicratice, & abſque ulla moleſtia ejuſmodi excrementa ſejungantur, & diluantur; Unde poſtea primis expurgatis viis, maſſæ adhuc fluidorum emundationi ſit locus, præſertim addito ſubſequenti balneorum

rum uſu, quæ claudere hujuſmodi curationem debent.

Tertio ad diarrhæas, ac bilioſas vomitiones, dummodo ſint tantiſper remiſſæ, Aqua in ſua na- naturali frigiditate adhibenda erit, tepefacta autem, ac terræ admixta ab eis haurienda, qui vomitibus ſive ſanguinis, ſive bilioſis, (ab exceſſiva tamen aciditate promotis) exagitantur. At quos ſanguinis expuitiones ob abrupta thoracis vaſa divexant, ac emaciant, prima erit propinanda aquæ egelidæ ſorbitio cum precedenti maceratione Radicis Chinæ, nonnullis etiam ſit mixtio cum ſyrupo de tinctura violarum, iique in lecto decumbentes aquam trajiciant, hora vero ſomni nonnihil ſalgamorum roſaceorum cum aliqua Terræ portione deglutiant.

Quarto, ad quaſcumque hæmorrhagias ſupprimendas aqua cum Terra propinetur, quippe quam cum bezoarticam, tum vulnerariam atque adeo ſemper utilem fuerimus experti.

Quinto, Mulieribus ſive albo, ſive ſanguineo fluore fluentibus aquæ tepefactæ cum Terra commixtæ, ac in lecto trajiciendæ uſus præſtituatur; ſi qui autem hujuſce generis morbi aut chronici fuerint, aut diutina vetuſtate occalluerint, organicas uteri partes eſſe vitiatas minus temere ſuſpicandum eſt, ideoque tunc, ut diximus, tam a balneis, quam a Duccia pene totum præſidium ducendum erit.

Sexto, Fœminis ſterilitatem, aut frequentes abortus ob nimium ſanguinis æſtum aut acrimoniam patientibus, egelida adhuc aqua propinetur,

tur, non omiſſo, ut innuimus, balneorum, & Ducciæ uſu, quorum ope permultas ad perfectam uſque curationem adductas vidimus.

Septimo denique in affectione diabetica, urinæ difficultate, ardore, & ſtillicidio aqua cum Terra erit commiſcenda. In Renium autem, & Veſicæ ulceribus, in arenulis, in gonorrhœa legitima, & gallica aqua tepefacta cum portione ſyrupi de tinctura violarum, ac Terræ inſumatur.

§. III.

De quantitate Nuceriani Laticis a purgantibus epotandi.

Pauca hic nobis dicenda ſuppetunt, cum quiſque corporis vires, ſtatum, habitum, indolem, ætatem, ac morbos conſulere debeat, atque ideo nonniſi generalem quampiam regulam ſtatuere nunc poſſumus. Iſthæc porrò regula eſt, ut poſtridie ſumpti ſolutivi medicaminis terna aquæ libra ebibatur, ſucceſſivis autem ad octavam nempe, vel decimam uſque diebus una quotidie mane augeatur aquæ libra; octava, vel decima elapſa die eodem, quo aucta fuit ordine decreſcere debet aquæ quantitas ad quintamdecimam uſque diem; poſtquam unum ex lenientibus placidioribus, ſed imminuta doſi, iterare non incongruum erit, ea propter nonniſi unicam ad ſummum unciam ſalgamorum caſſiæ laudamus.

§. IV.

§. IV.

De nonnullis vexationibus pleriſque purgantibus evenire ſolitis, ac de obvia, rectaque illis occurrendi regula.

NIhil frequentius quamplurimi purgantes exaggerare ſolent, quam moleſtias, & incommoda, quibus in ipſo Aquæ uſu afficiuntur. Eorum miſereri dignum ſanè foret, ſi quas certè vitare poſſent vexationes varia, effrænataque vivendi licentia ultro ipſi iidem non accerſerent. Nonnulli tametſi in aquæ copia ſumenda minus deficiant, duplici tamen vitio eos obnoxios agnovimus, errando ſcilicet in frugali victu, ac in præcipitatione, ut ita loquar, Curationis, quam ut brevi abſolvant, bibunt pluſquam poſſunt, aut ſaltem ultra quam par eſt, autumantes fortaſſe idem eſſe brevibus bibere diebus, quod ad multos dies protrahere neceſſario deberent. Accedit, quod alimento ſatis idoneo minime utantur; ex quo fit, ut vix, aut ne vix quidem, in ſanitate recuperanda proficiant. Sic errant ut plurimum Religioſi, Artifices, Ruſtici, aliique horum ſimiles, quibus ideo pleræque accidere ſolent vexationes, & incommoda, ad quæ præcavenda ſatis erit, ut aptiore cibo utantur, ac requiſitum, & curationi conſentaneum tempus inſumant.

Plerique, & ſunt fere omnes divites, Nobiles, atque Magnates aliter errant, quamvis enim opipare pranſi, plus æquo tamen uberiorem ad-

mittunt cœnam: Hinc aquam mane potantes, confeſtim de ſtomachi imbecillitate, capitis gravedine, vertigine, nauſea, ad vomitum concitatione, ac ſimilibus affectionibus conqueruntur. Nonnullos adhuc non abſimiles tenent moleſtiæ, ut qui adæquatum ſorbitioni temporis ſpatium denegantes, celerius totam Aquæ quantitatem non tam bibunt, quam ingurgitant. Quid quæſo mirum? Præfinitum iſti ad bibendum tempus inſumant; immodicis, ac profuſioribus gulæ cupediis temperent illi, & ecce utriſque cuncta feliciter cedunt; Si quibus autem ejuſmodi offendere vexationes contingant, alterum ex ſupradictis lenientibus reſumendum erit, ut ſic primæ viæ ab indigeſtæ materiei ſaburris, necnon ab ingurgitata Aquæ ſuperfluitate evacuentur, & eluantur.

Aliis totam quandoque noctem inſomnem ducentibus, mane larga juris inſulſi potio adhibenda erit, & ſubinde tenuiori in copia erit aqua potanda.

Qui autem gracili, ac delicata donati ſunt corporis habitudine, ac proinde de ſtomachi imbecillitate querimonias habent, primo juſculum ſorbeant, poſtea tenuem aquæ quantitatem ebibant, vel in priori aquæ poculo maceretur per plures horas modica ligni ſuſſafras quantitas, vel inter bibendum ſacchareis aniſis, vel ſalgamis ſive roſaceis, ſive ex integra cedride confectis utantur, extrinſeca ventriculi regione, aut nucis myriſticæ, aut maſtiches, aut abſynthii oleo delibuta.

Si

Si fortaſſis aqua haud facile urinæ meatus ſubeat, primæ potioni addi poteſt ſyrupus de Althæa Fernelii, ac vel congrua ſalis prunellæ, vel Tartari vitriolati, vel Tartari fixi portio.

Si qui demum ultra quam par eſt ſtyptica alvi ſuppreſſione laborent, vel ſibi clyſteribus conſulant, vel unica ante cibum hora tenuem ſalgamorum Caſſiæ quantitatem, vel modicam Alexandrini Electuarii, vel Diatartari portionem, vel prunas, vel paſſulas præparatas deglutiant; Hæc de interno aquæ uſu ſatis ſuperque.

SECUNDA PARS.

De externo Aquæ Nucerianæ uſu.

COngruo, ac recto Aquæ interne adhibendæ modo, ut potuimus, expoſito, nunc externum ipſius uſum, qui duplex eſſe poteſt, per balnea ſcilicet, & Ducciam, aperiendum ſupereſt duobus conſequentibus Capitibus, tertio tamen pro Coronide addito in quo de diæta a Purgantibus ſedulo ſervanda brevis quidem, ſed perutilis ſermo recurret.

CAPUT PRIMUM.

De Balneis.

QUanti Balneorum conſuetudinem priſci fecerint ea probant, quæ adhuc in celebrioribus Urbibus, ſed maxime Romæ ſuperſunt ſuperba, ac miranda Ædificia, Thermarum nomine donata, quæque revera nedum ad delicium, ſed vel ad diſpellendos, vel præcavendos morbos fuerunt extructa.

Et vero Balneorum uſu corporeæ ſuperficiei pori, ac univerſales humani corporis tubuli laxantur, & dilatantur, fluidorum maſſæ undequaque excurrendi licentior facultas ſuppetit, hu-

mcrum

morum craſſities attenuantur, fermenta vigorantur, cibi appetentia cietur, blandus, ſuaviſque ſapor conciliatur, rigidiores partes humectantur, atque molleſcunt, flatuoſitates facilius reſolvuntur, ſenſibiles evacuationes promoventur, & nutritiis ſuccis undique animales ſpiritus deferentibus locum cedunt, adeout expeditiore, inter duas præcipuas vitæ ſedes, cerebrum ſcilicet, & cor, ac iſta inter, & cæteras univerſi Corporis partes, intercedente ſpirituum fluxu, & commercio brevi humanum corpus priſtino oporteat æquilibrio reſtitui, proindeque ſaluti.

Nemo tamen inficias iverit, ſicuti pleriſque Balnea congruunt ſi iis apte, & ut decet, utantur, ſic compluribus, quos lavare non expedit detrimento eſſe. Itaque non abſre facturos putamus, ſi tribus inſtitutis paragraphis tum illos, quos a balneis abſtinere juvat, tum eos, quibus balnea opem ferre poſſunt, tum denique exactam, ac ſalutarem lavandi methodum more noſtro breviter prodamus, ac præfiniamus.

§. I.

De iis, qui a Balneis abſtinere jubentur.

PLeriſque balnea minus congruere præter experientiam, & rationem docet Hippocrates: *Balneum vero*, inquit, *in multis morbis opem tulerit, ad aliquos autem aſſidue, ad aliquos autem non*. Quibus ultimis verbis non putandum eſt,

Hippocratem aſſiduis dumtaxat uti balneis nonnullos vetuiſſe, & non potius eos omnino prohibuiſſe. Non ita eſt; ipſe audiatur Hippocrates ſic eo loci pergens: *Minime autem*, inquit, *tempeſtivum eſt lavare, quibus alvus humidior eſt, quam conveniat, neque quibus ſiſtitur magis, quam convenit, & non eſt ſoluta prius, neque eos, quibus vires languent lavare oportet, neque faſtidioſos, neque nauſeabundos, neque eructantes bilioſum, neque quibus ex naribus ſanguis fluit.* Hæc Hippocrates, a quo docemur.

Primo a balneis abſtinendos, qui alvi lubricitate, puta diarrhæis, vel dyſſenteria laborant, actio quippe balneorum præcipua in eo ſiſtit, ut poros quoſque adaperiat, fibrillas laxet, necnon ſolidas partes emolliat; Porrò ſic rarefactis præſertim intimis corporis partibus, proculdubio vitiata alvi fluida ob ademptum æqualis preſſionis æquilibrium ad ſuperficiem adacta tum ſolidorum, tum liquidorum maſſam ſuo ſilveſtrium ſalium fermento imbuerent, ac inficerent, atque adeo ipſæ acido-ſalinæ moleculæ, quæ alvi fluorem produxere, ſuo refluxu denuo ſolidas partes impeterent, ac dilacerarent, unde priore pejor reſultaret morbus, ſemper enim deterioris eſt conditionis omnis in alium morbi commutatio.

Secundo, ex eodem Hippocrate ſe lavare prohibentur, qui ſtyptica alvi ſuppreſſione detinentur, niſi ejuſdem purgatione præmiſſa; & ratio eſt, quia alioquin ſeroſæ particulæ cum excrementis admixta ob externam rarefactionem, ad ſuper-

ſuperficiem impellerentur, & tunc magis adhuc adſtricta, & ſuppreſſa alvus ſiſteretur.

Tertio, ut paucis multa, idem Hippocrates a balneis arcendos pronunciat tum eos, quibus vel ob naturalem corporis habitudinem flacceſcunt, & languent vires, tum eos, qui cibos faſtidiunt, nauſeaque vexantur, niſi forte prius hujuſce affectionis emendata cauſa; tum denique eos, qui bilioſum eructant, vel quibus e naribus ſanguis effluit, præſertim ipſa perdurante hæmorrhagia, ſi autem hæc cedat, balneis uti nihil vetat, cum per ipſa a recurrentibus ſanguineis fluoribus præſerventur. Horum omnium ratio eſt, quia nimirum balnea ultro vires infringunt; nauſeam ob majorem, quam in ſtomacho ingerunt imbecillitatem, adaugent, vomitum cient, ac denique quem attenuant ſanguinem celeriori fluiditata donant.

Quarto denique, nec balnea illis congruunt, qui ſive a rheumaticis, ſive ab venereis, ſive errantibus articulorum doloribus urgentur, quia hujuſmodi affectionibus tantum abeſt, quod balnea, medeantur, ipſaſque leniant, quin potius augent, & exaſperant, alioſque gravioris indolis morbos ingerunt. Excipiendos tamen eos monemus, quorum muſculi membrorum ſero viſcido imbuti nequeunt ſibi proprias obire functiones, debitas nimirum extenſiones, vel contractiones, prout opus eſt, exercere: Excipiendi pariter ſunt, qui podagricis affectionibus affliguntur, dummodo tamen iſtæ non occaluerint, nec jam ſinophia, ideſt gummolus ad inſtar ru-

deris nodus, articulis adhæſerit, ut enim cum Poeta loquamur: (*a*)

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur Aquis.

Denique pro univerſali habeatur aphoriſmo, neminem medicis balneis ſe feliciter committere, cujus alvus præcedenti tempeſtate decenter non fuerit expurgata.

§. II.

De his, qui balneis uti permittuntur, & jubentur.

UT quis balneis felici ſe committere exitu poſſit convenientes in eo eſſe debent apparatus; ſic docet Hippocrates loco ſupracitato (*id. ib.*) *Si igitur*, inquit, *apparatus fuerint convenientes, & ægrotus bene ſuſcepturus ſit balneum, lavare oportet quacumque die, eos autem qui balnea amant, bis in die lavans, nihil errabis*. Apparatus porrò iſtos, de quibus Magiſter loquitur, nil aliud præcipue eſſe conſtat, quam eorum, qui lavandi ſunt ab affectionibus in ſuperiori paragrapho enumeratis immunitas, quæ ſi abſint, convenientes utique erunt apparatus, ac utilis ob rationes jam ſupra relatas erit balneorum uſus.

Verum nec deſunt, quos non tantum lavare juvat, ſed & neceſſum eſt, nonnullos enim morbos nonniſi balneorum uſu ab humano corpore diſpelli poſſe experientia docet. Hujuſmodi ſunt ſcabies, prurigines, impetigines, elephantiaſes, her-

a *Ovid. de Pont. l. 2. eleg. 4. ad Ruffin.*

herpetes tam exedentes, quam miliares, quibus ſane Nucerianæ Aquæ balnea ad normam medicam exacta tam tuto, quam celeriter mederi infinita propemodum probant experimenta.

Itidem denſa corporis habitudine, ac nimia pinguedine obſtructis, aduſtis, exſiccatis, & bilioſis, apertam adhuc balnea noſtra opem ferunt; Haud minori ſunt adjumento iis, qui ſpaſmologica, aut convulſiva nervorum trepidatione, aut contractione torquentur: In podagris etiam nullatenus inveteratis, & minime chronicis, & dummodo, ut diximus, earum ſinophia articulis non obſederit, Nucerina Aqua ad lavandum uti quilibet poterit, cum hujuſcemodi balnea mire a podagrica affectione recentes arthriticos, qui eis quotannis utuntur, ſervent, ac tueantur, quia nimirum podagrici ſales per univerſam ſolidorum æque, ac fluidorum maſſam diffuſi, ac minus tenaciter ipſi adhærentes, ab ea balneorum præſidio rarefacta, & veluti dehiſcente, ſegregantur, & expuuntur, ac ſubinde a vi centrifuga, ob ademptum a balneis æquilibrium, invaleſcente, ad ſuperficiem adacti ex jam reſeratis poris eguntur.

In affectionibus hypocondriacis, & hyſtericis balneis Nucerianis uti pluſquam opportunum, & utiliſſimum eſt. Itidem Mulieribus vel abortus frequentiores, vel ſterilitatem patientibus ob nimiam membranarum uteri tenſionem, & rigiditatem mirabiliter balnea noſtra ſubveniunt, cum maxime additur Ducciæ uſus. Summopere adhuc iis Fœminis opitulantur copioſa nimis uteri hæmorrha-

morrhagia vexatis, quo in caſu balneis, eo dumtaxat tempore; quo ſanguinis fluor fuerit remiſſus, utantur: E contrà autem in albis uteri fluoribus; iis actu fluentibus adhibere debent.

Denique Mulieres menſtruorum ſuppreſſione vexatæ, ac ii omnes, qui naturalium viſcerum obſtructione laborant, mirificam ſemper à balneis noſtris opem hauſerunt.

Fatendum autem eſt, balnea ut plurimum concomitanda eſſe cum interno Aquæ uſu; cujus ope ſilveſtres ſales majori in copia & a maſſa ſeparantur; & ab alkalinis ſemimineralis aquæ moleculis obtunduntur, ac abſorbentur; Et denique ſi quæ fuerint ſolidæ partes tantiſper læſæ bezoarticarum particularum in Aqua latentium adminiculo nativam, & priſtinam nanciſcuntur incolumitatem.

§. III.

De exacta, ac medica ſe lavandi methodo.

DUO præcipue hoc in paragrapho obſervanda veniunt; tempus nimirum, & modus ab eis, quibus balneorum uſum ad quodpiam ſanitatis emolumentum vertere non diſplicet.

Primo igitur æſtiva tempeſtas quam opportuna ad balneorum uſum *ut plurimum* eligenda eſt, niſi aliter prementis aliunde infirmitatis indoles exigat. Cum enim præcipua balneorum utilitas in eo ſita ſit, quod nempe eorum uſu humorum craſſities attenuetur, pori laxentur, tranſpirationes

hes promoveantur, ambigi nequaquam poteſt; ad hæc omnia æſtivum aerem, qui ſolus abſque alio adminiculo ea quæque fere obtinet, plurimum conferre. Dixi ſuperius: *ut plurimum*, cum neceſſitas ſane legem non habeat. Itaque æſtivis diebus ſi mane quatuor poſt epotam aquam circiter horis balnea ſubire opportunum erit, tametſi per urinarios meatus integra hauſtæ aquæ quantitate non adhuc egeſta, cum ejus reliquiæ ipſo in balneo facillime emittantur, in quo niſi aliud obviæ poſtulent ægrorum circumſtantiæ, unica ad ſummum hora erit immorandum: Si autem veſpertino tempore balneum ſumatur, ſex, aut ſaltem quinque elapſis poſt prandium horis ipſum ingredi quiſque poterit. Si quorum autem effractæ corporis vires frigeant, maxime intererit, ne inconſulto medico integram horam balneo traducant, quod cuique quamlibet viribus valido in prima lotione obſervandum erit.

Secundo, balnei temperies *regulariter* loquendo ita eſt æquanda, ut ne intenſo nimis fervore aquæ fere exæſtuet, nec remiſſiore prope frigeat; ſuavem quemdam teporem balnea retineant, qui æſtivos calores referat, ipſorumque ſit ſimilis. Dixi *regulariter;* qui enim plena, obeſaque corporis habitudine donantur, eos calidiore uti balneo oportet: E contra autem graciles, & emaciati, atque ſive ob ætatem, ſive ob ægritudinem utcumque viribus effracti, necnon a periodicis, & recurrentibus hæmorrhagiis vexati, vix tepens balneum adhibeant, ita tamen ut in eo abſque moleſtia conſiſtere valeant; ea propter ne temporis ſpatio

bal-

balneum plus æquo frigeſcat, identidem modica in fuſa ferventi aqua ab æneo epiſtomio in ſingulis lavacris aptato pro libitu educenda, illud iterum atque iterum juxta exigentiam temperare opportunum erit, a quo demum poſt horam Purgantes emerſi, in tepefactum lectum ſeſe recipiant, ac inibi abſque ſomno, & ſudore, omnino arcendis horam alteram ducant, qua abſoluta ſurgant, ac prandium, vel cœnam ſumant.

Ab ea autem mora in lecto poſt balneum trahenda noverint Purgantes totam pendere balneorum utilitatem, hinc enim ob rarefactos, laxatoſque poros uberrima in univerſa maſſa tranſpiratio, ac proinde noxiarum adhuc particularum eductio cietur, quæ ipſis Purgantibus, ſi bene adverterint, in extremis corporis ſuperficiebus, in manibus nimirum, pedibuſque ſenſibilis fiet, quippe qui inſueto quopiam calore ferveant, ac ex intervallo tenuiſſimorum veluti aculeorum ictus ſuperficiem ipſam urgentium probe ſentiant, & patiantur.

CAPUT II.

De ſtillicidio, vulgò Duccia.

STillicidium vulgò Duccia, græce *Embrioce* dicta ſic deſcribi poteſt: *Quædam eſt medicaminis ſpecies, qua Aqua a congrua decidens altitudine, guttatim, ac ad inſtar frequentis ſtillicidii ſubjectas alluit Corporis partes.* Hoc medicaminis genus præcipue conducit ad quaſcumque tol-

tollendas ſilveſtrium ſalium impreſſiones, quæ quidem variæ ſunt, juxta multiplicem occurrentium cauſarum, atque comitantium occaſionum varietatem.

Hujuſmodi remedium, ut patet, præciſe externum eſt: tametſi per accidens aliquando, mediis inſtrumentis, internis corporis meatibus applicari contingat, qui quidem modus ducciæ adhibendæ ſatius quam interna, prout a pleriſque dicitur, occulta, ſeu cœca Duccia a nobis haud incongrue nuncupatur.

Itaque caput iſtud bifariam dividendo, duplicem inſtituimus paragraphum; in primo agemus de cutaneo Ducciæ uſu; in ſecundo occultum, ſeu tacitum, illius adhibendæ modum exponemus. Sed prius tria generatim circa utriuſque Ducciæ modum monenda ſuperſunt.

Primo ſcilicet, Ducciæ remedium ut plurimum cum Aquæ ſorbitione, ac balneis eſſe copulandum.

Secundo, in quocumque Ducciæ uſu, tepentem ſemper Aquam eſſe adhibendam.

Tertio denique, nonniſi tribus, vel ſaltem duabus ante prandium, & ante cœnam horis Ducciam eſſe ſuſcipiendam, ac ad latam horam, quin etiam ultra juxta morborum exigentiam, ac directionem a Profeſſoribus præſtitutam deducendam fore.

Cæterum pro quolibet Ducciæ uſu neceſſaria, & opportuna in Nuceriano Fonte, tam affabre elaborata, quam apte diſpoſita, inſtrumenta ſuppetunt.

§. I.

§. I.

De cutaneæ Ducciæ uſu.

JAm diximus, hocce remedium tunc perfici, cum tepens aqua aptis recepta inſtrumentis ex alto decidens affectum aliquod membrum alluit, adeout ope impetus, ac ponderis a lapſu mutuati par ſit ad eas ſubigendas, ac amoliendas infirmitates, quæ tum balneis, tum interno Aquæ uſui pertinaciter obſiſtunt.

Porro Duccia mirabiliter medetur variis ſive aquoſis, ſive calloſis corporis tumoribus, necnon affectionibus quibuſque cruſtaceis, ſordidæ nimirum ſcabiei, herpetibus, & milliaribus, & exedentibus, aliiſque exulcerationibus, ac tuberculis.

Itidem proſpero ſane exitu remedium iſtud experiuntur, qui contumaci capitis dolore vexantur, ſi prædicto modo in capitis futura, quam Coronalem vocant, capillis ad cutem attonſis, aqua excipiatur.

§. II.

De occulta, ſive cœca Duccia.

DUccia, de qua hic nobis ſermo eſt parum, vel prope nihil a ſupra expoſita differt, perinde enim ac illa miniſtrari debet; occultam tamen, cœcamve dicimus, ut quæ cœcis, ſeu occultis corporis ſive naturalibus, ſive præternatu-

rali-

ralibus aditibus applicetur, prout ſunt urinarii meatus, Ani inteſtinum, uterus, & ſi quis alius præternaturalis fiſtuloſus ſinus. Hæ enim ſolidæ humani corporis partes cum plerumque ab exotica ſilveſtrium ſalium, varias ob cauſas inductorum, copia lædantur, itaut vel enormes excoriationes ſanie aliquando, taboque manantes patiantur, vel vitiatam, morbificamque corrugationem, ac rigiditatem induant, vel calloſa quadam, ſeu fungoſa ſubſtantia interius obducantur, ut priſtinæ reddantur incolumitati, nec Aquæ Nucerinæ ſorbitio par eſt, nec balneorum uſus perfecte conſequitur; Hinc non raro plerique laborant Profeſſores manibus, ut ita dicam, pedibuſque quam valent, contendentes, ut iteratis purgationibus hujuſcemodi vitiis occurrere ſatagant, ſed quid tum? Hercle laterem lavant, & hydram ſecant, nec mirum; Non enim hic agitur de fluidorum vitio corrigendo heterogeneis, acidiſve particulis imbutorum, ſumma rei eſt in emendanda quapiam ſolidorum deliteſcente parte; quæ providos experti Profeſſoris oculos fugit; Porrò ad hoſce penitus ſubigendos morbos univerſa perperam inſudante Medicina, remedium ſuppeditat cœcæ Ducciæ uſus, ea ſiquidem mediante, fiſtuloſis, ac divaricatis illarum partium ſinibus Aqua Nuceriana guttatim ex alto decidens effunditur æneorum tubulorum miniſterio, qui pro partium diverſitate, ac earum inita proportione ſolerter elaborati, meatuum orificiis admoventur, & (ſi opus ſit) leniter intruduntur; Et inde ſequitur,

ut

ut repetita tepefactæ Aquæ interfluentis ope, calloſæ quæque, ac fungoſæ ſubſtantiæ, ſi quæ ſint, emolliantur, ac digerantur, exulcerationes extergantur, ac ad perfectam uſque cicatricem adducantur; rigidiores autem, ac plus æquo exſiccatæ, & corrugatæ partes, ſilveſtribus ſalibus excluſis molleſcant, ac leniori flexilitate donentur.

Itaque primo hæc Duccia ad morbos inteſtini recti, ad ejus nimirum lacerationes, rugas, ac hæmorrhoidales tumores plurimum confert.

Inſuper mirabiliter ſubvenit veſſicæ morbis, puta tam excoriationibus, ac exulcerationibus, tametſi calloſis, & venereis in ejuſdem collo ſitis, quam tum benignis, tum gallicis gonorrhæis. Itidem urinæ ſtillicidio, difficultati, & ardori efficaciter opitulatur; quinimmo ſanguineas ipſas, & ſanioſas urinas, dummodo tamen in veſſicæ collo inſit læſio, probe ſanat.

Pariter Mulierum tum albis, tum ſanguineis fluoribus, vel cum aliqua uteri læſione, illius nimirum interiorum parietum exulceratione, repetito interfluo tepefactæ Aquæ uſu per vaginam in uterum mediis æneis ſiphunculis, ac fiſtulis quam decenter ad opus aptatis, introductæ abſolute medetur, & ſi quæ eſſent inibi excrementitias, calloſas, ac fungoſas condenſationes, & coagulationes diluit penitus, atque omnino diſſolvit.

Præterea quampluri mas in Fœminis tum ſterilitatis, tum frequentiorum abortuum cauſas amolitur, & avertit; etenim cum acrior quandoque ſanguinis æſtus, immodica uteri corrugatio ob

nimiam

nimiam inibi exceptam ſilveſtrium ſalium copiam in cauſa ſint, ut ipſius membranæ nimis tenſæ, & exſiccatæ nonniſi difficulter expandi, & diſtendi queant, ac proinde tum concipiendo, tum retinendo fœtui impares fiant, iſtius ducciæ uſu nimius ſanguinis fervor enervatur, ſilveſtria ſalia diluuntur, ac uteri tunicæ abſterſæ laudabiliter laxantur, ac ad decentem mollitiem, & flexilitatem adducuntur.

Ab hoc tamen remedio virgines plane abſtinere debere nemo non videt, nec enim id patitur Chriſtiana lex, virginalis pudor, decoris integritas.

CAPUT ULTIMUM.

De victus, ac diætæ ratione a Purgantibus ſedulo ſervanda.

Decentem alimentorum, ac congruam diætæ rationem maximam eſſe medicinæ partem, ille ſolus, qui ſe viventem neſcit, ignorat. Intolerabile prorſus, ac commiſeratione plane dignum plurimos præcipue Nobiles videre, apud Nucerianum Fontem Purgantes abſque ullo prope delectu cibis quibuſque veſci, ac intemperantioribus gulæ Cupediis ventrem diſtendere: Nonniſi multa nocte, quæ inter ludos inſomnis ducitur cubitum ire, creperi aeris intemperiem nullatenus cavere, pomeridiano ſomno ſe plurimum horarum ſpatio exſaturare, quid multis? ea vivendi ratione uti, ut nullo alio fine, quam ut voluptatibus fræna laxentur, Fontem adiiſſe diceres: Neſciunt fortaſſe hallucinatæ Gentes, tempera-

tam, congruamque victus, diætæque rationem in aquea purgatione ut quum maxime poſtulari, qua univerſa penitus fluidorum humorumque maſſa in motu poſita, ac revoluta humanum corpus impreſſiones quaſcumque, ſive noxias, ſive ſalubres quam facillime patiatur. Hinc identidem obſervatur, ut qui unica tantum infirmitate detenti Nucerianum Fontem petierunt, ab eo complicatarum ægritudinum turba ſtipatos abſcedere inauſpicato contingat. Et tunc inſontes quot in Medicos contumeliæ! innoxiam quot in aquam convicia! Diſcant quæſo, diſcant, ſi tamen velint Purgantes, & Profeſſoribus, quos præcipue diutina, atque explorata aqua experientia docuit, morem gerere, & a corporeis ſenſationibus tantiſper temperare; innumeræ profecto tunc curationes apparebunt, quas naturalibus, pene dicam, prodigiis accepta utilitas deputabit; Pleroſque fortaſſis eorum, quæ diximus, diſplicentia tenebit; at maluimus Purgantibus paululum, ſed utiliter diſplicere, quam ipſis maxima eorum pernicie adblandiri.

His, quæ neceſſario præmittenda duximus, obſervatis, ad præfiniendam tum ciborum, tum diætæ in curatione obſervandam methodum properamus. Rem totam duplici continebimus paragrapho; In primo agemus de ciborum delectu; In ſecundo de nonnullis ipſa in curatione abſtinentiis ineluctabiliter ſervandis ſermo recurret. Unicum dumtaxat hic iterum monemus (ſatis enim dici non poteſt) ab hujuſce Capitis obſervatione totius Curationis ſummam pendere.

§. I.

§. I.

De ciborum delectu in purgatione adhibendorum.

PArum ſane prodeſt, ut dudum innuimus, Aquam noſtram interno uſu acida quæcumque tam in primis fermentis, quam in univerſa fluidorum maſſa hoſpitantia abſorbere, ſicuti ex externo, ſolidas partes a ſilveſtribus ſalibus vitiatas priſtinæ mollitiei, ac flexilitati reſtituere, proinde tum ſolida inter, & liquida, tum inter ipſa fluida debitum invehere, & ſtatuere æquilibrium. Id, inquam, parum prodeſt, ſi poſtea congrua alimentorum deficiente ratione, curationis œconomia ita peſſum detur, ut quod ſaluberrimæ Aquæ ope nanciſcimur, incongruo plane alimento prodigamus. Sit igitur hoc in Paragrapho operæ pretium, ciborum tum qualitatem, tum quantitatem purgantibus præfinire; cum in alterutro, & fortaſſe in utroque plerique deficiant non levi eorum pernicie: *Cibus incoctus*, ait Sanctorius, *quo plenioris eſt nutrimenti, eo eſt deterior, vel quia efficit majus pondus, vel deteriorem corruptelam.* (*In Comm. de cib. & pot. aphor.* 21.)

Primo igitur eſculenta, quibus Purgantes veſci decet, ſuccoſa, & quoad fieri poteſt probatæ indolis eſſe debent. Hujuſmodi ſunt volatilia quæque, Capones ſcilicet, Gallinæ, eorumque Pulli, Pipiones, Aves quæcumque ſilveſtres, &

Quadrupedia, Vituli inſuper, Hœdique lactantes, ac Vervecina caro; Boves adhuc rejiciendi non eſſent, ſi paſcuales forent.

Condiendorum autem ciborum modus, quo ſimplicior, eo utilior; ea propter artocreatibus, cæteriſque cupediis, ac gulæ deliciis penitus ablegatis, ab aromatum præſertim acriorum uſu Purgantes abſtineant; Elixas, toſtaſque carnes adhibeant, abſque eo tamen quod frixis Animalium extis veſci prohibentur.

Pultes eæ ſunt laudabiliores, quæ ſive ex pane, ſive ex oleribus, ſive ex utriſque conficiuntur. Olera autem adhiberi congrua ſunt, lactucæ, intyba ſive agreſtia, ſive ſativa, cucurbitæ, omphacium, cepæ aquis exacte dilutæ, (obſtructos enim corporis meatus nonnihil recludent) ac alia id genus; præterea ex ovis recentibus, oriza, farre, hordeo, cortice tamen exempto, componi nihil vetat.

Lacticinia autem butyro, ac ovibus recentibus exceptis nullimode attingantur, minimo enim ſucco prædita pravam induunt fermentationem, ac in cacochiliam abeunt.

Ex fructibus Pepones, qui ſuis alkalinis partibus aquæ energiam non minuunt, quin potius adaugent, pruna, ac pira laudabiliora in prandio apponi poterunt, ſi iis moderanter quis utatur: Bellaria autem, & ſacchario perfuſi fructus Purgantibus minus congruunt, cum dulcia & bileſcant, ac in acidiſſimas ſeſe reſolvant particulas.

Quoad vinum, utique generoſum, vetuſtum,

ac minus dulce optime defæcatum, decenti tamen Aquæ quantitate dilitum adhibeatur; atque adeo hujuſce noſtræ regionis vina nonnihil aciditatis ob vindemiæ immaturitatem redolentia minus congrua reputamus. Hinc quiſque noverit, quod nos minime fallat, nec extra ſinceritatis metas abripiat Patriæ cœcus amor.

Maxime autem caveant Purgantes a nimia epularum varietate, & a ſimultanea carnium, & piſcium comeſtione, nihil quippe magis noxium excogitari poteſt, pernicioſius nihil; Cum enim hujuſcemodi cibi diverſæ ſint texturæ, alter altero citius in ventriculo coquitur, ac proinde unum aliud corrumpit, ſicque primis fermentis vitiatis pravus conficitur chilus, qui demum ſanguinem heterogeneis particulis inficit, ut optime advertit celebris, moxque laudatus Sanctorius (*In comm. de cibo, & potu aphor.* 51.) *Tria mala*, inquit, *eveniunt ob ciborum varietatem, nimium comeditur, minus coquitur, & minus tranſpiratur.*

Secundo quandoquidem ſicuti in ciborum delectu, ſic & in eorum quantitate non minus frequenter errorem obrepere contingat, ut ab hoc vitio Purgantes revocemus, auream ob eorum oculos ponimus præcitati Sanctorii ſententiam in Nuceriano Fonte palmaribus characteribus cælari dignam: *Neque excedendum* (inquit Vir nunquam ſatis laudandus *ib. aph.* 54.) *in quantitate alibilium, nam qui comedit magis, quam oportet, alitur minus quam oportet.* Tantum igitur cibi, & potus adhibendum, quantum vires reparentur, non opprimantur.

Et vero experientia docet, immodico cibo oppletos ut plurimum ventriculi tenſione, flatibus, ructibus acido-nitroſis ab indigeſta, putrique cacochilia exhalatis, affligi, atque vexari; ea propter quiſque corporæ ſuæ conſtitutionis, conſuetudinis, ætatis, ſexus, virium, ac ſtomatici fermenti ratione ducta, eam inſumat alimenti quantitatem, quæ par eſſe poſſit ad decentem, & accomodam ſui nutritionem.

Quibus igitur Aqua noſtra mens eſt ad valetudinem uti, promulſide ſalubriter condita, optima pulte, carnibus tam elixis, quam aſſis, ac innoxio aliquo fructu, ad prandium adhibitis, eos abunde, & pluſquam congrue pranſos autumamus. Veſpertina autem refectio modica omnino eſſe debet, & exigua, alioqui aquæ mane potandæ vix ſuas exercere vires, ac actiones perficere integrum erit, atque adeo levi, ſive fruſtatim conciſi, ſive infriati panis pulte cum juſculo decocta addito recenti ovo, aut potius alio quopiam cibi fruſtulo ad bibendum accommodo, dumtaxat dilectentur Purgantes.

Quoad potus quantitatem habito adhuc ad ætatem, corporis habitudinem, ſexumque, reſpectu, largus potius, quam brevis eſſe debet: *Æſtate*, inquit Hippocrates, *victus ſit mollis*, *potus aquoſus*, *multus*, *ciboque detracto*, *augeatur potus*. (*De ſa. diæt.*)

§. UL-

§. ULTIMUS.

De nonnullis in Aquæ curatione abſtinentiis nulla prorſus ratione violandis.

EA omnia, a quibus opus eſt Purgantes abſtinere ſequenti Diſticho, ut altius retineantur complexi ſumus:

Intempeſtus aer, ſudor, ſomnuſque diurnus;
Improba & eſca, dolor, ſint procul, atque Venus.

Duos hoſce verſiculos nunc exponere, & enucleare juvat.

Intempeſtus aer, veſpertinus ſcilicet, & antelucanus, præcipue in hac regione æſtivis etiam temporibus ſub crepuſculo rigidior eſſe ſolet á Purgantibus eſt vitandus, atque adeo non multo poſt ſolis occaſum, (quod ſolent plurimi;) domos remeare; nec ſubinde reverſi intempeſtæ noctis aeri reſeratis feneſtris auræ captandæ cauſa aditum præbere, nec conſequenter ſub dio ſive hærere, ſive excurrere. Purgantes ullo modo permittuntur, qui ultro & matutinis horis, & occidente ſole frigidulas auras, duplicatis ſi opus ſit indumentis, cavere debent, ne ſcilicet jam incœpta tranſpiratio, cui totus appenditur curationis cardo, intercludatur, & intercipiatur.

Sudor. Exploratum omnino eſt ita ut jam lippis, & Tonſoribus innoteſcat, quodcumque ſanitatis emolumentum a Nuceriano Latice promotum penitus Purgantes prodigere, niſi omni con-

tendant induſtria, ne vel ita poſt adhibitas Aquas, aut in ipſo Aquæ uſu, (quod pejus eſſet,) ſudorem emittant. Hinc non mirum, pleroſque Religioſos ad propria reverſuros pedibus euntes, vel prope nihil utilitatis nanciſci. Sunt adhuc alii, præſertim Nobiles, ac plus æquo delicatæ Mulieres, quæ ſuſceptis balneis ita lectum, cui ſe committere debent, calefieri curant, ut è veſtigio copioſo diffluant ſudore, ac ſubinde viribus effœtæ ob nimiam ſpirituum Animalium cum ſudore ſimul effluentium exantlationem pene langueſcant; Expedita utique, & licentior quoad fieri poteſt cieri ita debet tranſpiratio, ut ſtet tamen ſudor.

Somnus diurnus. Difficile dictu eſt quam Aqueæ curationi adverſetur pomeridianus ſomnus, iis præſertim in morbis, quibus viſcerum obſtructiones, ac hypocondriorum farctus, vel anſam dedere, vel ſociantur; At quotus quiſque eſt, qui huicce practices præfinitioni ſeſe libenter ſubjiciat, quin eam tanquam futilem, ac nimis rigidam pro nihilo non ducat? Ille diutinam pomeridiani ſomni conſuetudinem cauſatur; Iſte Medici ſui pomeridianum ſomnum permittentis conſultationem profert; Quid multa? Omnes, aut fere cuncti ſomno poſt prandium indulgendi neceſſitatem obtendunt, & ſua cuique magis arridet excuſatio. Proh Deus Immortalis! Adeone ipſis vileſcit ſanitas, ut illius ſarciendæ gratia ne levem quidem ſibi vim inferre queant? Non auſim profecto dicere brevem a prandio ſomnum, ad dimidiam ſcilicet horam perductum

iis

iis plurimum obeſſe, quorum viſcera, & hypocondria, obſtructionibus, farctibuſque minime opplentur, ſed ea infirmitate detentis pomeridianum ſomnum infenſiſſimum tuto aſſerimus, & nemo unus, cui læva cor parte pulſet, facile inficias ibit.

Et vero tam ob internum, quam ob externum aquæ uſum in univerſa fluidorum maſſa excitatur, aut ſaltem plurimum augetur vis centrifuga, a centro nimirum ad circumferentiam motus, cujus ope heterogeneæ ſilveſtrium ſalium moleculæ ab alkalinis epotæ aquæ partibus jam involutæ, & irretitæ ad ſuperficiem cum cæteris inſenſilibus effluentium liquidorum particulis evehuntur, & ſubinde per poros ad tranſpirationem per balnea apprime diſpoſitos egeruntur. Porro per ſomnum quoad centrum animales ſpiritus revocantur, vel in maſſa fluidorum contrarius penitus a circumferentia ad centrum motus inducitur, qui vis centripeta dicitur; Quamobrem quamplurimæ vitiatæ liquidorum particulæ, quæ ad extremam fere ſuperficiem a vi centrifuga jam adactæ, ad exitum præſto erant, per ſomnum poſtea introrſum a vi centripeta revocatæ è corpore egredi non poſſunt, ſeu ſaltem exituræ novum præſtolari debent motum, & opportunitatem, ſupervenientem, inquam, vim centrifugam, qua iterum ad ſuperficiem adigantur.

Improba eſca. Nonnihil de eſculentorum pravitate, ubi de ciborum delectu agebamus obſervare licuit, quæ proinde ſunt recolenda. Conſule ſuperiorem §. Hic generatim obſervandum venit,

acidis

acidis quibuſque, ac ſalinis, nitroſis præter modum, atque ſulphureis cibis Purgantes veſci penitus prohiberi. Hinc acetaria quæque, ſalſugines, embammata, cæteraſque minus ſalubres cupedias, lacticinia, recentibus ovis, butyroque demptis, fructus, præter ſuperius exceptos, Bellaria, dulciola, ac alia ſaccarea condimenta, ſicuti & aromata, præſertim acriora; Hæc, inquam, omnia minus congrua pro Purgantibus eſculenta reputantur. A ſuilla autem carne quæcumque ea ſit, ipſis abſtinendum nemo, qui ſapiat uſpiam inficiabitur, niſi ſi forte exigua illius quantitas ad cibos condiendos quandoque adhiberetur.

Dolor. Sub doloris nomine cunctas complectimur humanæ mentis ipſam anxiantes, atque ſiſtentes cogitationes. Hilarem itaque animum abſque ullo angore ſervare, ac fovere ſtudeant Purgantes: Idcirco jucunda inita inter ipſos ſocietate, & conſuetudine pomeridiano præcipue tempore colenda, qua etiam ſomnus vitabitur, ab eorum mentibus ſaltem eo curationis tempore, moleſtiæ quæcunque, curæ, ſollicitudines, animi contentiones, ſtudia quæque, quin ludi ipſi, qui pluſquam ſeriam, & minus acrem exigunt attentionem penitus exulent, adeout hic jure, ac merito cum Boetio ſit ipſis canendum:

Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adſit. (*Boet. de conſ. philoſ.*)

Venus. Uſum etiam venereorum tum temporis ablegent Conjugati neceſſe eſt; eum quippe ſemper comitantur enormis vitalium ſpirituum exan-

la-

ſatio, ac ingens conſequitur virium diſpendium, adeout qui tunc teneri parcere detrectarunt, non multo poſt condignas intemperantiæ ſuæ pœnas dederint; Quandoquidem viribus penitus effracti, ac ſtomachi cibo reſpuentis nauſea correpti, vix pedibus conſidere pares, complures eoſque mœroris, faſtidiique plenos exegerunt dies; Quandoque etiam illos adortæ ſunt ſatis pravæ indolis febres languoribus, mordaci calore, moleſtaque inquiete ſtipatæ. Cætera hic mittimus, rati, paucis, quæ diximus, Purgantes fidem adhibituros; Experti ſiquidem loquimur, qui bene multis hujuſce generis ægrotis medicinam fecimus.

Atque hæc de naturali Nuceriani Laticis hiſtoria ſatis dicta ſint, quæ adhuc luculentius ſubſequens medicarum obſervationum, & ſanationum appendix aperiet.

OB-

OBSERVATIONES
MEDICO-PHYSICO-PRACTICÆ
Reſultantes ex probo uſu Aquæ, & Terræ Nucerianæ.

PARS TERTIA.

AD LECTOREM.

SEquentes Obſervationes, quas tibi, Candide Lector, adnexas præſatæ Diſſertationi præſcriptas proponimus, ſunt determinatæ ad demonſtrandos effectus, vim ac energiam tum Aquæ, tum ejuſdem Terræ Samiæ, & non abſque exercitio Litterario, per nos diligenter habito cum illis, qui per ſuas indiſpoſitiones uſum Aquæ tenuerunt, ad hoc ut magis firmatas haberemus eorumdem hiſtorias., quas uſque adhuc præſcribere, & inter multiplices publicare decrevimus. Vale.

OB-

OBSERVATIO PRIMA.

Ex ſcriptis Bernardini Medici Phyſici Civitatis Nuceriæ Anno 1591.

IN peſtilentibus Febribus nullum præſtantius Remedium cum ab hac diſceſſeris adinveniri poteſt, namque Anno elapſo 1591. dum in Piceno, atque in tota Umbriæ Plaga peſtilentes febres increbreſcerent ubique Locorum, Ægrotantes omnes ut plurimum moriebantur, in Civitate autem Nuceriæ, atque in tota ejus ditione etſi pluſquam termille Ægrotantes, ac mali moris febre correpti fuerint, nihilominus mors vix quinquaginta ex eis abſtulit, ex hiſque paucis ut plurimum erant ſenio, veſanaque fame conſumpti. Mirabile viſu, atque incredibile dictu, erat omnibus Febricitantibus aquam ad libitum condonare, ſive adeſſet obſcura coctio, ſive perfecta, ſive imperfecta, ſtatimque cum ex ea ad ſaturitatem potaſſent, illico Criſis adhærebat vel per vomitum, vel per ſeceſſum, vel per lotium, vel per ſudorem, aliquibus conciliabat ſomnum, & facile dormitabant, nonnullis poſt largam ejus potionem in tota Cute ampullæ quam maxime excitabantur Aqua turgentes, quæ tandem in ſamiem vertebantur, itaut aliquando ad tres, vel ad quatuor libras ex ſumma cuticula fuerit evacuata ſanies.

OB-

OBSERVATIONES

Octaviani Mariani Aſſiſias Medici Phyſici hujus Civitatis ex ejuſdem Libercula in lucem edito Peruſiæ Anno 1599.

OBSERVATIO I.
Quæ in ordine eſt Secunda.

Ictus Viperæ.

THeodora Carnevali de hac Civitate dum Ruri degebat fortuitò è Vipera ictum reportavit in Pede; unde paulò poſt affecta pars non ſolum intumuit, ſed etiam tumor cum livore augebatur, ideo conſultum fuit, ut vulneratum pedem in Aquam albulam immergeret, & interim Aquam prædictam largiter ingurgitaret, quod diligentiſſime factum, paulò poſt vulneratus pes detumeſcere cœpit, cæteriſque ſymptomatibus ſublatis, præter aliud auxilium ad ſalutem ſe reſtituit.

OBSERVATIO III.

Ictus Araneæ Virulentis.

A Storres de Bracalibus Nucerinus Juvenis Annorum XXVIII. percuſſus fuit in digito unius manus a maligno, ac virulento Aranea, ex quo non ſolum digitus, ſed etiam manus, ac

ac brachium uſque ad pectoris regionem adeo intumuerint, ut admodum de ejuſdem ſalute vereretur; Quapropter ductus ad vicinam Aulam Epiſcopatus coram Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domino Hieronymo Mannelli Epiſcopo Nucerino immerſa affecta manu in Pelvim hac celebri Aqua plenam, illicque aliquandiu detenta, ſenſim tumor decreſcere videbatur, & pauco temporis intervallo deſperatam fere ſalutem iterum adeptus eſt.

OBSERVATIO IV.

Hydrops aſcitus.

ADmodum Reverendus Pater Franciſcus Braſcus a Sezzo Procurator Meritiſſimus ſacri Ordinis Minoritarum Divi Franciſci hydropico affectu cruciatus, ad hoc Balneum ſe contulit, & Aquam de more bibendo, multis Balneis utens denuo Romam ſanus acceſſit.

OBSERVATIO V.

Affectio Artetica.

ALexander Bernardini artetico affectu graviſſime cruciatus, ac nullo modo incedere valens, ad Balneum, vulgò *Carretta*, ſe deferendum curavit, & quamvis incurabilis videretur, tamen uſu interno Aquæ, externæque Balneationes ſanus diſceſſit.

OBSERVATIO VI.

Lepra.

ANtonius Pontani Spoletinus univerſali affectu leproſo cruciatus uſu hujus Aquæ, ac Balneis quamplurimis convaluit.

OBSERVATIO VII.

Ulcera Tibiarum.

JOannes Antonius de Caſtro Petrignani Comitatus Aſſiſii ſordidis Tibiarum ulceribus diu laborans interno uſu hujus Aquæ, Balneis, ac ſtillicidio ad multas dies, adſtantium admiratione vermes ex ulceribus exire videbantur, tandemque perfecte ſanus evaſit.

Obſervationes deſumptæ ex Tractatu Domini Annibalis Camilli Patritis Nucerini Medici Phyſici.

OBSERVATIO PRIMA.
Quæ in ordine eſt Octava.

Vomitus contumax.

ANno 1627. Juvenis Nucerinus Ætatis ſuæ Annorum XXXI. ſpatio quinque Annorum frequentes vomitiones indeterminate ſuſtulit, & poſtea per quinque continuatos Menſes abſque in-

intermiſſione vexatus fuit, ut tam grave tolleret incommodum vario ſe ſubjecit remediorum uſui, quibus fruſtra tentatis, cogitatum fuit de potione Aquæ Nucerianæ, qua in uſum ducta, ſecunda die ceſſavit vomitus, eademque continuata priſtinam recuperavit ſalutem, & nunquam recidivas paſſus fuit.

OBSERVATIO IX.

Pruritus univerſalis cum Puſtulis.

EOdem anno Vir Bononienſis Ætatis annorum LVI. ſpatio quatuor annorum morbo, vulgò Hepatico laborans, & poſtea ad duos alios univerſali prurigine cum Puſtulis hinc inde diſſeminatis vexatus fuit, præcipue in facie, adeout deformis, ac monſtruoſus adſtantibus redderetur, ideo Romæ multa in uſum duxit, ut a tam fœda affectione levaretur, ſed rebellem experiens, decernit uſum hujus Aquæ, ad quam accedens, ſpatio unius Menſis Romam iterum, petiit, ſalute recuperata.

OBSERVATIO X.

Scabies Gallica.

JUvenis per multos annos univerſali pruriginoſa ſcabie laborans, ut a tam diro cruciatu evaderet, varia fuerunt a Medicis in uſum ducta, at cum nullum reportaret levamen, ab iiſdem

conſultum fuit, ut Aquam Nucerianam tentaret; ad quam cum ſe transtuliſſet, & decenti methodo eam potaſſet, ſeptimo die maximus apparuit Bubo in inguine dextero: Quapropter inexpectata novitate territus conſilium a Medico expoſcit & ab eodem interrogatus, an unquam lue gallica infectus fuiſſet, quod affirmans, bubone ad maturitionem deducto copioſam expurgans impuritatem, & potione Aquæ continuata, ſanus evaſit a bubone, a ſcabie, & a pruritu.

OBSERVATIO XI.

Venenum ab halitu ſerpentis.

ÆStivo tempore Juvenis e Comitatu Valtopini dum nocturno tempore in herboſo Prato profunde dormiebat, a ſomno expergefactus intra induſium, & pectoris regionem ſibi invenit ſerpentem, quo extracto, territus & abdominis, & thoracis regiones tumefactas reſpiciens, ſtatim equitando ſe contulit ad Fontem, ubi Balneum ingrediens, & Aquam potans, illico detumuerunt affectæ partes, relictis ſolummodo quibuſdam maculis a veneno forſan impreſſis.

OBSERVATIO XII.

Ictus Viperæ.

EOdem æſtivo tempore ictu viperæ fuit læſus oris labio ſuperioris Canis dum venabatur, ex

ex quo paulò poſt intumuit totum caput, & ſenſim intumeſcebat tota Corporis circumferentia, & cum ejuſdem Herus ægre ſuſtuliſſet Canis jacturam, quamvis a Fonte duobus milliaribus diſtans, ſemivivum eum duxit ad Fontem, ubi Balneo immerſus, illico ab ore viſcidum, flavum, ac viridem humorem ejiciebat, & paulò poſt detumeſcente corpore, ſanus evaſit, & ad venationem properus ut antea.

OBSERVATIO XIII.

Ulcera Linguæ ſordida.

ANno 1633. pervenit ad hunc Fontem Judæus cum Lingua copioſis veſſiculis ulceroſis variique coloris undique perfuſa, inque tumorem adeo elevata, ut ab ore protendens totum ſuppoſitum occuparet mentum, & per conſequens nec loqui, nec cibum capere valebat, & aſpicientibus admirationem, ac horrorem inducebat: Statim Aquæ ſtillicidio ſe ſubjecit, quo auxilio per ſpatium octo dierum ulcuſcula omnia diſparuerunt, & interno uſu Aquæ ſenſim Lingua detumeſcens, paulatim cum loquela ſanus factus fuit.

OBSERVATIO XIV.

Tumor, & torpor cum inflammatione in Tibia.

REverendiſs. Dominus Fulvius Canonicus Serantoni e Vetrella anno 1688. de Menſe

Auguſti ſe contulit ad hæc Balnea diu vexatus ex Tibia in ſummo gradu tumefacta, & hinc inde eriſipellaceo colore infecta adjuncta omnimoda motus feriatione; variis incaſſum tentatis remediis ſolo hujus Aquæ ſtillicidio in parte affecta pluribus Balneationibus, & ejuſdem interno uſu perfecte convaluit.

OBSERVATIO XV.

Hepatis obſtructio.

EOdem Anno, ac menſe Dux Equitum e Civitate Corneti diuturna, ac pertinaciſſima hepatis obſtructione laborans plurima expertus fuit remedia a diverſis Medicis methodice conſcripta, ſed omnia incaſſum tentata deſperabatur de ejuſdem ſalute. Quapropter potius Amicorum, quam Phyſicorum conſilio adhærens, ſe contulit ad hunc Fontem maximo ejuſdem incommodo, itinere prorſus defatigatus, viribus quodammodo reſtauratus, ſumpſit (ut mos eſt) potionem ſolutivam ex ſyrupo roſato aureo, ex qua nullo affectu ſequuto, coactus fuit eam repetere ſecunda die cum pari eventu, tandem tertia die, veluti motu critico adjutus, pravam excrementorum ſaburram ex alvo eduxit; Tandem uſu Aquæ interno, multiſque Balneis continuatis, omnino ſanus Patriam acceſſit.

OBSERVATIONES

Summa diligentia collectæ, & conſcriptæ a Florido de Plumbis ejuſdem Civitatis ſuæ Patriæ Medico Phyſico.

OBSERVATIO I.

Quæ in ordine eſt XVI.

Obſtructiones Viſcerum Abdominis.

NObilis Piſaurenſis Annorum XXVIII. a multis Annis patiebatur Febriles efferveſcentias, Typum Tertianæ, nunc ſimplicis, nunc duplicis intermittentis ſervantem, & quando ab his immunis reperiebatur, ictericus evadebat: naturalia viſcera erant tenſa, dura, atque ad tactum renitentia, totumque Abdomen fere tympanicum apparebat, borborigmi, ac flatus ſenſibiliter manifeſtabantur, aderat Ciborum averſio, excrementa ut plurimum bilioſa obſervabantur, & emaciari ſenſim incipiebat; Inſuper tædio ipſi erant quæcumque medicamenta, dum ab his leve, aut nullum juvamen percipiebat. Hic cogitat de Aqua Nuceriana, ad cujus fontem accedens æſtivo tempore anni 1691. poſt aſſumptam ſolutivam potionem incœpit uſum Aquæ, quam potavit ad quantitatem uſque XXXVI. librarum, multiſque Balneis adjunctis, ſuperata omni fibrarum tenſione, ac rigiditate, reſtituta libertate in fluidis, incolumis evaſit. Imo poſt multos annos a me Piſauri reviſus, affirmavit, nullum aliud ſe ab eo tempore incommodum paſſum fuiſſe.

OBSERVATIO XVII.

Salſedo in Facie.

ANno 1694. Doctor N. Gubernator tunc temporis Rocchæ Contratæ a multis annis ſalſuginoſo humore vexatus erat, totam ejuſdem faciem occupante, in majoremque gradum morbo evecto poſt varia tentata præſidia; pervenit ad hunc Fontem, eoque magis coactus, quia ob ejus deformitatem ab omnibus exul permanebat. Ideo Aqua patienter in uſum ducta, Balneis, ac ſtillicidio, larva depoſita, Amicorum conſortium cum ſalute recuperavit.

OBSERVATIO XVIII.

Herpes Miliaris.

CElciſſima, ac Nobiliſſima N. Ætatis ſuæ annorum circiter XXX. a multis annis deformis reddita ab Ulcuſculis, quæ occupabant ambo Narium Foramina, totamque labiorum circumferentiam, aſpectuque horrorem, ac fœtorem inducebant, nam hujuſmodi partes ulceratæ ultra tumorem videbantur interſecatæ a minimis protuberantiis hinc inde in parvula, ac varia foraminula hiantibus. Quapropter ut tam grave evaderet incommodum, conſuluit multos in Arte peritiſſimos, a quibus optime, ac juxta indicantia exactiſſime fuit curata, inculpabilem ſervavit victus

ra-

rationem, & per triennium ſal, ac vinum exulavit. Morbus autem adhuc rebellis perſtitit, & potius augumentum capeſſens, deſperatam fere plorabat ſalutem, quamvis animo taliter dejecto, atque ambiguo exitu accedit Fontem Nucerianum tempore æſtivo Anni 1697. & ab illius undis licet incertam requirit ſpem ſuæ deſperatæ ſalutis attamen Aquam potare incipit, Balneis ſe immergit, & ſtillicidio utitur, quo patienter adminiſtrato ſpongioſæ ulcuſculorum protuberantiæ ſenſim abſumebantur, & a minimis foraminulis minima vermicula educebantur; tandem ex continuato uſu tota partis ulceratæ abſumpta ſuperfluitate, ad cicatricem reducitur, qua ſequuta ſolum remanſit in ea parte rubicundus color, eodemque tempore, quo his utebatur, fuit illi denuo conceſſum & vinum, & ſal; talique methodo recte inſtituta Nobiliſſima Domina deformitatem cum morbo in undis immerſit, & Patriam læta revertitur. Hyemali tempore aliquod ſignum deſcripti morbi in altero pede perſenſit, ſed æſtate ſequenti anni 1698. denuo huc reverſa uſu interno, & externo hujus Aquæ modificatis fluidis, ac ſolidis in ſalute magis confirmatur, & dum hæc ſcribo ſana vixit.

OBSERVATIO XIX.

Gonorrhæa Gallica, & Pudendorum ulcera.

NOb. Juvenis ex diſtrictu Romano ſpatio plurium Menſium vexatus fuit a gonorrhæa

virulenta cum ulceribus occupantibus totum virilem Glandem, a quibus omnibus maximum experiebatur dolorem, & incommodum, neſcio quo conſilio pervenit ad hunc Fontem Anno 1698. At quia a multis in dubium verteretur, an hujuſmodi morbo hæc Bainea potuiſſent opem ferre, ad ea in uſum ducenda hortatur ab uno ex noſtris Aromatariis cum particulari cautione, ſcilicet in primo hauſtu immiſceret doſim Terræ Samiæ, utpote mineræ ejuſdem Aquæ, cum qua cautione hauſta Aqua, pluribuſque Balneis viginti dierum ſpatio ſanus diſceſſit.

OBSERVATIO XX.

Hydrops Aſcites.

Æstivo tempore Anni 1699. Vir inferioris conditionis e Centumcellis pedeſter ſenſim iter fecit, quouſque ſummo labore, ac patientia tandem perveniſſet ad hunc fontem: quamplurimis eo tempore dſtantibus admiratio fuit, aſpiciendo ejuſdem abdomen in maximam evectum molem humoribus fluctuantibus ſenſibiliter turgidum, varias habuere quæſtiones, an ipſi conveniret uſus Aquæ; perentiebat patiens eorum altercationes, & ipſe a tam diro, ac diuturno morbo tædio affectus inter exitus ambiguitates, hauſto una die ſolutivo, ſe committit uſui Aquæ, quæ per canales urinarios ſibi viam aperiens obſervabatur, ab Adſtantibus abdomen paulatim detumeſcere cum cingulo ſingulo mane periculo facto in cognitionem veniebat, quo-

vis

vis die Abdomen decreſcere ad duos, & tres digitos, donec ſpatio unius Menſis redactum ad naturalem ipſius ſtatum præter omnium ſpem perfecte convaluit, cibis uberrime ſubminiſtratis a Nobilibus adſtantibus, paupertatem Patientis Deo ſic jubente cordi habebant.

OBSERVATIO XXI.

Gallica Lues.

NOb. Juvenis XX. annos natus ex diſtrictu Fulginei diu vexatus a gonorrhæa virulenta, & ulceribus Pudendorum, a quibus inducta fuit contractio, ſeu diſtorſio in eodem virili membro, taliter affectus ſe contulit ad hunc Fontem, Aquam hauriendo cum portione ejuſdem ſuæ Mineræ, adjunctis multis Balneis gonorrhæa, & ulcera diſparuerunt, laxatiſque fibris priſtinam partis figuram acquiſivit.

OBSERVATIO XXII.

Gallica Lues.

NOb. è Civitate Orvieti repetitis vicibus Bubones, ulcera, & gonorrhæam ex impuro contactu reportavit, tandem cum iterum gonorrhæam contraxiſſet, & per multos Menſes ab eadem vexatus fuiſſet, a morbo tædio affectus Anno 1701. petit hunc Fontem, ubi Aquam de more bibendo cum doſi ejuſdem mineræ ſanus diſceſſit.

OBSERVATIO XXIII.

Hemorrhoidalis Tumor.

NOb. Sacerdos à Caſtro Bellino diu vexatus à tumore hemorrhoidali, nullis cedente remediis, imo tumore in maximam molem eveƈto, cupit tentare Aquam Nucerinam, ad quam pervenit eodem Anno 1701; & de more in uſum duƈta una cum Balneis aliquod levamen percipiebat, ſed ut parti morboſæ peculiare tribueret auxilium, eo magis quia ſtillicidium non admittebat niſi cum maximo incommodo, venit in mentem, ſe inſidentem; ſupponere Torrenti ejuſdem Aquæ, illicque ſingula die per multas horas perſeverando, tumor decreſcere cœpit; & paulò poſt totaliter diſparuit.

OBSERVATIO XXIV.

Stranguria.

ILluſtriſs. ac Reverendiſs. N. poſt varias renum, ac veſſicæ affeƈtiones, atque primarum fermentationum læſiones chyloſim depravatam patiebatur, unde fluidorum acuta acrimonia inter cætera ſymptomata maximum ſuſtinebat incommodum in Urinæ excretione, dum eam ſæpius, & guttatim cum diro, atque intolerabili cruciatu excernere coaƈtus erat. Quapropter Illuſtr. Præſul ut tam ſævam evaderet moleſtiam decernit æſtivo tempo-

re

re anni 1702. petere Fontem Nucerianum, & ſolo uſu illius Aquæ Balneationis ſanus evaſit, & dum hæc ſcribo, adhuc incolumis perſiſtit.

OBSERVATIO XXV.

Urinæ Incontinentia.

EOdem tempore, atque Anno ſe contulit ad hunc ſaluberrimum Fontem admodum Reverendus Pater Eremita e Camaldulenſium Familia, qui tam dormiendo, quam vigilando a multis Menſibus ipſo inſcio urinam continuo emittebat, una cum ſuprafcripto Præſule Aqua, & Balneis decenti methodo utitur, horumque auxilio præfatam ſuperat moleſtiſſimam affectionem.

OBSERVATIO XXVI.

Gallica Lues.

MUlier XL. annorum inter ſenſus illecebras diu vitam ducens, ex Venereis blanditiis veneream luem pluries contraxit, anno tandem 1709. magis magiſque affecta a virulenta gonorrhæa, ab ulceribus Pudendorum, fœdaque univerſali ſcabie, deſperato conſilio ſe contulit ad hunc Fontem, ubi ob ejuſdem pravam Corporis conſtitutionem hoſpitium non adinveniſſet, niſi ei opitulaſſent & Nummi, & petulantia maxima. In hoc ſtatu Aquam de more bibit cum ſamia Terra, Balneis quamplurimis utitur, & quam-

quamvis fere tacta a divina maledictione, ſpatio viginti dierum ſana diſceſſit.

OBSERVATIO XXVII.

Apum Ictus.

JUvenis e Caſtro Collis ex diſtrictu hujus Civitatis abripiens è proprio ſitu Apum Capſulam, & ſiniſtra manu ſuppoſita in eorumdem acervum, illico perſenſit in eadem torporem, & obtuſum dolorem, paulò poſt tumeſieri cœperunt manus, & brachium, inde tumefactio ſe extendit ad faciem, thoracem, & abdomen, animoque linquens, Domeſtici ſtatim cogitarunt de veneno, unde in aſſervatam aquam immerſa manu, præfata ſymptomata ſenſim remittebantur, donec hauſta largiter eadem aqua, hoc ſolo auxilio ſanus factus fuit.

OBSERVATIO XXVIII.

Erpes Exedens.

VIr annorum XLV. è Valentano ſuſtulit per multos annos ulcera exedentia herpetica extenſa in tota poſteriori parte Thoracis, quæ poſtea protracta uſque ad Naves, ichoroſam quandoque ſanioſam materiam effundentia, vehementem dolorem, & anguſtiam inducebant miſero Patienti. Quapropter anno 1700. ſe contulit ad hunc fontem, & uſu ejuſdem Aquæ, ſtillicidii,

dii, & Balneationis ſpatio viginti dierum ſanus diſceſſit.

OBSERVATIO XXIX.

Pruriginoſa affectio cum puſtulis.

Filius Nobilis N. vetuſtæ Civitatis Sentini vix in lucem editus, ac in propriis incunabulis expertus fuit per totam corporis peripheriam cruſtaceam defœdationem una cum puſtulis hinc inde diſſeminatis. Contumax fuit hujuſmodi affectio, nam ubi primum prædicta in Civitate anno 1710. fuiſſem electus ad medicinam faciendam inveni adultum Nobilem Puerum ad ætatem annorum XI. vitam miſerrimam ducentem, dum undique, nec excepta facie, rotundis puſtulis maximum dolorem inferentibus affli ctabatur, ab eiſque poſtea flavus, ac mordax ichor emittebatur, & poſtmodum his exſiccatis cuticulæ color intenſa rubedine conſpiciebatur aſperſus, & ultra hæc ſummus, continuus, & univerſalis aderat pruritus; at quia virilem intelligentiam præſeferebat ſolertiſſimus Puer præſcripta ipſi decenti vivendi norma, quam exacte obſervando, vernali tempore purgationi ſe libenter ſubjecit in uſu, duarum herbarum ſuccis, ac jure viperinæ carnis recentis, poſt quos æſtivo tempore ad ipſum Fontem Nucerianum ſe contuliſſe curavi, hauſta illius aqua, & pluribus Balneis ſe ſubjiciens, hilaris reverſus fuit in Patriam, ſolummodo relicto præfato colore rubicundo tranſegit hyemem cum aliquali prurigine, non redeuntibus

tibus puſtulis; ſubſequenti vernali tempeſtate, eadem fuit repetita purgatio, iterumque petiit Fontem Nucerianum, & mediantibus illius Aquis ab eo tempore uſque adhuc perfectam adeptus eſt ſalutem.

OBSERVATIO XXX.

Frequentes Abortus una cum Uteri, atque narium hæmorrhagia.

NObilis N. N. è Civitate Corneti annorum XXVII. poſtquam fuit in matrimonium ducta tres abortus paſſa eſt, ſemper in uterum fœtu præmortuo; & poſt abortus copioſiſſima tam ejuſdem uteri, quam narium hæmorrhagia conflictabatur, ex qua ad extremum fere vitæ diem ducebatur. Inter remedia, quibus ipſa ſe ſubjecit, fuit etiam illud Aquæ Nucerianæ, ad cujus uſum ſe contulit anno 1710. eaque utebatur, ut moris eſt, tam interne, quam externe, poſt idem tempus tres Filios ſanos, ac vitales peperiſſe audivimus, & forſan alios peperiſſe credendum, dum adhuc ſana vivit.

OBSERVATIO XXXI.

Ophtalmia Gallica.

GErmanus Eques in juvenili ætate Romam petiit ubi ſpatio plurium annorum commoratus lue gallica repetitis vicibus affectus fuit, quam

quam palliativa, ſeu potius empirica curatione tractavit; Ideo cœpit conqueri de amborum oculorum intumeſcentia, dolore, rubore, & ardore, lacrymarum frequenti eductione una cum viſus diminutione, ac Tibiarum tumore ex lenteſcenti lymphatico ſucco. Quapropter ut tam gravia evaderet incommoda repetitis purgationibus ſe ſubjecit, a quibus fere nullum perſenſit levamen, ſanus poſtea factus fuit uſu interno, & externo Aquæ Nucerianæ anno 1712.

OBSERVATIO XXXII.

Tumefactio, & inverſio Palpebrarum cum oculorum inflammatione.

EGregius Abbas annorum L. Romæ diu vitam ducens vexari cœpit oculorum affectionibus, cum dolore ſcilicet, inflammatione, tumore, ac demum palpebrarum ſubverſione magis autem affectus obſervabatur oculus ſiniſter, ubi major, & carnoſior aderat palpebrarum ſubverſio, telaque carnoſa occupabat totam Tunicam adnatam cum ſummo pruritu, dolore, ac viſione penitus ablata: In hoc ſtatu curationi ſe ſubjecit, & omnia decenter fuerunt adminiſtrata tam interne, quam externe, attamen rebellis perſiſtit morbus, & magis magiſque ſerpens ab acrimonia lympharum diruptis tunicis oculi bulbus concavus remanſit. Ad ſalium ſpicula retundenda, fluidorumque diſcratiam emendandam cogitamus de uſu Aquæ Nucerianæ; Quapropter patientiſſimus Abbas

bas æſtiva tempeſtate anni 1712. petiit Fontem, ubi hauſtui, & Balneis hujus Aquæ ſe ſubjecit, & conſilio, ſeu potius aſſiduis precibus Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Marci Battaglini tunc temporis Epiſcopi hujus Civitatis, ſtillicidio Aquæ ſuppoſuit affectum oculum, quæ operatio primo totam conſumpſit carnoſam excreſcentiam tam ſubverſarum palpebrarum, quam bulbi oculi, & demum reduxit partem ad ſuum priſtinum ſtatum, & ablata deſcripta concavitate, oculi bulbus ob antecedentem Tunicarum lacerationem, & humorum transfuſionem, reddito tantum Bulbo albedidine perfuſo, & ablata concavitate, quæ majorem Patienti, & adſtantibus deformitatem induxiſſet: Et dum hæc ſcribo ſanus in tali ſtatu adhuc vitam degit Romæ ſolertiſſimus Abbas.

OBSERVATIO XXXIII.

Ictus Viperæ in Jumenta.

ANno 1713. Jumenta ejuſdem Ruſtici hujus ditionis dum humi Olera paſcebat vulnerata fuit a Vipera in extremitate labii inferioris, quo caſu tumefieri ſenſim cœpit, & ad opem eidem inferendam duxit eam ad Civitatem, quamvis difficulter incederet, dum maximam in molem tumefacta eſſet, ubi cum vix perveniſſet, ſtatim humi cecidit. Quapropter ſoluta Terra Samia in noſtra Aqua, & tota Corporis circumferentia cum eadem manibus diligenter confricata, ſimulque per os propinata, præter omnium expectationem ſana facta eſt, imo revixit.

O B-

OBSERVATIO XXXIV.

Ictus Viperæ.

RUſtica Juvencula ex diſtrictu hujus Civitatis Vernali tempore anni 1714. cum Ruri nudis pedibus ambulaſſet, ipſa inſcia vulnerata fuit ictu Viperæ in metacarpo dexteri pedis, pauló poſt vertiginoſa caligine viſus haberi cœpit, & vix domum reverſa ſyncopès frequenter accedebant, auriginoſo perfuſa colore per totam corporis periphæriam; advocatus noſter Chirurgus, qui omnia ſymptomata perpendens, ſtatim vulneratum locum ſcarificavit, eique ſuperimpoſuit hanc noſtram Terram Samiam, quam decenti doſi cum vino etiam interius propinavit, & hoc ſolo auxilio convaluit, ut eadem mihi quoque retulit.

OBSERVATIO XXXV.

Ictus Viperæ in Cane.

EXpertiſſima, ac optima Canis venatoria Vernali tempore ejuſdem anni 1714. dum per nemora, ac ſepes venando exercebatur fuit a dira Vipera ictu percuſſa in labio ſuperiore, quæ poſtea conſuetis vexata ſymptomatibus, tumidaque reddita ab eodem Hero fuit domum exportata ſemiviva, conſilio noſtri Chirurgi eadem mixtura, ut in obſervatione ſuperiori exterius, & interius adminiſtrata vitam denuo adepta fuit.

OBSERVATIO XXXVI.

Cruſtacea Scabies.

VIr annorum 58. ex diſtrictu hujus Civitatis hyemali tempeſtate anni 1715. affectione ſcabioſa cruſtaceo-ſalina, & a cute maxime elevata, quæ plurimum occupabat ambas manus, uſque ad cubitos extendebatur per totum Thoracem, Collum, & Faciem, coloris erat cinericei, ab idiotis peſſima lepra denominabatur, meo conſilio Aqua, & Balneis adminiſtratis ſpatio quadraginta dierum ſanus perfecte evaſit.

OBSERVATIO XXXVII.

Urinæ Ardor.

SAcerdos ætatis annorum 50. ſpatio duorum annorum aſſiduè ardoris ſenſu cum ſummo dolore tenuem urinæ quantitatem emittebat, purgationibus ſe ſubjecit abſque levamine, & anno 1714. conſilio Medici curantis ſe contulit ad Thermas S. Caſſiani Hetruriæ, a quibus potius recruduit morbus, accedente febre, ideo eas deſeruit, & anno ſequenti 1715. cum Balneis, & Aqua Nuceriæ in priſtinum ſalutis ſtatum ſe reduxit. Conſimiles morbi egregie tolluntur, dummodo veſſica corporibus extraneis careat.

OBSERVATIO XXXVIII.

Affectio ſcorbutica.

DOctiſſimus Religioſus Germanus è Cappuccinorum Familia Provinciæ Styriæ ætatis XXX. annorum, temperiei ſanguineo-bilioſæ a Nutrice ſcorbutica educatus fuit. Quapropter hujus morbi ſemina in ejuſdem puerili ætate in gingivis erumpere cœperunt; adultus autem factus unaque Religioſus, ſeriiſque applicationibus adſtrictus, majora ſuſtulit incommoda, nam ex vitæ mutatione vitiatis primis fermentationibus probabile eſt, ductam fuiſſe acrimoniam in fluidis, & præcipuam in lympha ſalivali, quæ uberius depoſita in eiſdem Gingivis, tumorem produxit, cruciorem & acutum dolorem. Ad tollendam præfatam in fluidis diſcraſiam ab Empyrico curatus fuit decoctione Lignorum ſudorifera, qua patienter uſus fuit ſpatio quatuordecim dierum, ſequuto ſingulo mane copioſo ſudore, & ultro progreſſus fuiſſet decoctionem, ni fortuito a perito Phyſico jam labens ſalus evidenti ratiocinio foret illi demonſtrata, dum a tam improprio indicato remedio majori inducta in fluidis diſcraſia, alteratione in viſceribus, criſpatione in ſolidis, & rigiditate in fibris, ad fere ultimum maraſmum pervenit Reverendus Patiens, idque evaſit præſcriptis lectis refrigerationibus, humectationibus, ac dulcificationibus. Ab horumque uſu cum ſpatio quatuor annorum leve

obſervaſſet levamen, habita hujus Aquæ tenui notitia, ſpretaque difficultate tam diuturni itineris anno 1715. ſe contulit ad hunc Fontem, ubi Aquam potare cœpit de Menſe Julio, eamque protraxit ad duodecim dies cum evidenti profectu; & per duas hebdomadas quieſcens, & a ſuperioribus habita nova permiſſione, ut etiam Balneis poſſet uti, reaſſumpſit uſum Aquæ cum Balneis Menſe Auguſti, quæ ad dies viginti continuavit cum ſummo levamine; ſic namque emendata fuit fluidorum diſcraſia, & ad priſtinum ſyſtema reductæ ſolidorum fibræ, atque debito inter hæc æquilibrio reſtituto, a maraſmo evaſit, ſcorbuticaque ſymptomata prorſus ſublata erant, quæ forſan non reverſa forent, ſi præfatus Pater ſequentibus annis uſum Aquæ repetere valuiſſet, quod impoſſibile ipſi fuit, dum ob neceſſitatem religioſæ obedientiæ Germaniam reverti coactus fuit.

OBSERVATIO XXXIX.

Fluor Albus.

Nobiliſs. N. ex Illuſtri Civitate, temperamenti ſanguineo-melancholici a tribus annis matrimonio juncta, & uſque adhuc ſterilis, a duobus annis vexata fuit albo uteri fluore quantitate mediocri, quem ut evaderet, Curationi ſe ſubjecit, nullo percepto levamine, tædio etiam affecta a virium proſtratione, ciborum averſione, & univerſali macie, pallidoque corporis colore;

Qua-

Quapropter ad opem ferendam huic Nobiliſſimæ fœminæ hortatur a Peritioribus, ut Aquam Nucerianam tentaret, quam petiit anno 1715. æſtivo tempore, & in hac eadem Civitate domicilium cœpit, ad quam vocatus, in viſceribus naturalibus, ac vaſculis meſentericis depravatam chyloſim, & obſtructiones ſuſpicari mihi ſuadebam, totamque ſolidorum compagem criſpatam, tenſam, ac rigidam conſideravi. Propinato itaque leni ſolutivo, diebus ſequentibus mediocrem Aquæ doſim potare feci, & ad hoc ut acida celerius infringerentur ſemi-dracmam Terræ Samiæ confundebam in prima Aquæ ſorbitione, & antequam e lectulo ſurgeret, juſſi, ut totum abdomen eadem Aqua tepida fomentaret, talique methodo per octo dies continuata, ad Balneum univerſale pluries repetitum eam commiſi, ſenſim ſymptomata omnia in dies remittebantur, & fluor ſpatio decem dierum abolitus remanſit, purgationeque continuata fere ad trigeſimum diem, ſana regreſſa eſt ad ſuam Patriam.

OBSERVATIO XL.

Spaſmalogico-hypocondriaci dolores cum macie.

CLariſſimus Vir morum probitate, doctrina, ac dignitate inſignis temperiei ſanguineo-bilioſæ, promptiſſimi atque felicioris ingenii ut plurimum vitam protraxit ſerie ſtudiis atque regimini addictam, ideo variis animi paſſionibus ſe ſubjecit, & labefactatis primis fermenta-

ionibus in promptu fuerunt Capitis ſenſibiles incaleſcentiæ præcedenti quamvis tenui applicatione, aderant hypocondriorum tenſiones., & a levi medicamento, vel à ſimpliciſſimo Clyſtere ſpaſmologicæ abdominis contracturæ ſuſcitabantur, levi præcedenti ventris ſenſatione, poſt primam ex alvo depoſitionem naturalium excrementorum, ſtatim ſequebatur copioſa eorumdem humoralis ſaburra, nunc flava, nunc viride-obſcura, modoque oleoginoſa, ſubſequenti poſtea ad plures dies notabili virium jactura, quamvis ſemper exule febre; morbo autem diu perſiſtente, emaciari ſenſim obſervabatur, & remediis ſelectioribus reluctante, ab iiſque tædio affectus, beneficio aeris ruſticani, tenuibus juſculis cichoraceis, aliiſque edultis elixis cum omnimoda vini abſtinentia melius habere cœpit, quapropter conſultum fuit a plurimis Sapientiſſimis æſtivo tempore anni 1716. præſcribere Viro Clariſſimo uſum Aquæ Nucerianæ tam internum, quam externum ad hoc ut emendarentur fermenta glandularum infimi ventris, & vitium communicatum ſanguini, & liquido nervorum, a quibus oriebantur ſpaſmologicæ affectiones, & molli reddita ſolidorum criſpatura, macies tolleretur.

Advenit tandem poſt aliquot menſes æſtivo tempore ad hunc fontem, qui poſt decentem nonnullorum dierum quietem, blandoque ſumpto lenienti, cœpit uſum hujus Aquæ in mediocri quantitate, eamque per lotium non ſolum feliciter emandabat, ſed etiam tertia die ex alvo deponere obſervabatur eadem excrementa præfata

tini.

tinctura, & ſubſtantia referta, quam ſeparationem expertus eſt alternis diebus, & poſt uſum balneationis, quæ omnia moleſta licet videbantur egregio Patienti; attamen ſymptomatibus omnibus tali methodo jugulatis, & præſertim macie remota, lætus, & fere in priſtinum redactus huic Civitati vale dixit, & ad magis firmandam valetudinem anno ſequenti 1717. eadem die purgationem in hac Civitate renovavit.

OBSERVATIO XLI.

Scorbutus.

JUvenis Nobilis Ætatis ſuæ vix vigeſimum percurrens annum, natus ex Genitoribus ſanis, & lac emulſit a propria Genitrice. Puer factus octo annorum varias ſuſtulit affectiones a prava diſcraſia ſucci lymphatici, adeout in progreſſu ideam ſcorbuti firmata remanſerit. Poſt varia, ſed incaſſum tentata præſidia anno 1716. ad Fontem Nucerianum ſe contulit; quapropter vocatus, ut meum etſi inertem exploraret ſenſum, Patientem inveni pallido colore, macieque univerſali refertum, maculæ, lividæ, ac ſubobſcuræ per artus diſſeminatæ conſpiciebantur; copioſa ulcuſcula fauces, palatum, ac gingivas obſidebant, ab iiſque continuam, atque dolorificam ſenſationem experiebatur. Ideo poſt leviſſimam primarum viarum expurgationem, juſſi, ut primam Aquæ ſorbitionem aſſumeret fervefactam cum fruſtulo carnis vervecinæ, & colaturæ addebam por-

tionem Terræ Samiæ, ad hoc ut facilius acido-acria ſalia infringerentur, poſtea ſpatio unius horæ congruam Aquæ copiam hauriendam; tranſactis paucis diebus ad univerſalia Balnea ſe conferre commiſi. Ab hac inſtituta Lege ulcera oris eradicata fuerunt, inque ſolidis criſpatura emendata, ab uſu Balneorum macies, atque alia ſymptomata modificata fuerunt: anno ſequenti repetito ſalubris hujus Aquæ uſu, prorſus amiſſam adeptus fuit ſalutem, ut præter ſpem meam liceat atteſtari, dum ejuſdem Patriam, atque Domum propriam accedere fuiſſem coactus, eum non ſolummodo ſanum, ſed Patrem duorum Liberorum hoc anno 1720. inveni ſumma cum admiratione.

OBSERVATIO XLII.

Diſuria, ſeu Urinæ Ardor.

Religioſus quinquagenarius ob ſui Inſtituti Strictiorem Obſervantiam, & itinerum incommoda ſpatio duorum annorum vexatus fuit aſſiduo ſtimulo Urinas egerendi, quas maximo cruciatu ſæpius, & in minima quantitate emittebat. Ad evitandam ſalium acrimoniam varia fuerunt tentata medicamina, & poſt univerſalem expurgationem Balneis S. Caſſiani ſe ſubjecit, ſed nullum levamen, imo ab horum uſu Febrim reportavit, anno poſtea 1717. potu cum Terra Samia hujus Aquæ, pluribuſque Balneis perfecte convaluit.

OBSERVATIO XLIII.

Vertigo tenebricoſa cum initiante Epilepſia.

NObiliſs. Domina matrimonio juncta, ſed ſterilis, circa quadrageſimum percurrens annum ſuæ ætatis, temperiei ſanguineæ, habituſque pleni, lunare penſum debito tempore ſolvebat. Tenebricoſa, & caduca vertigine vexari cœpit, frequentes inſultus redibant, qui adeo vehementes procedebant, ut ambulans, aut ſtans, aut ſedens raptim, ac inexpectate humi concideret; quamvis exactiſſimæ victus rationi, & repetitis expurgationibus, unaque vini abſtinentiæ ſpatio duorum annorum ſe ſubjiceret, solummodo obtinuit minoratum numerum recurrentium paroxiſmorum. Ad tentandam eradicationem cauſæ morbificæ conſultum fuit a peritiſſimis Medicis, ut ad Balnea Nuceriæ ſe cenferret anno 1717. Ubi vocatus, & omnia ſedulo perpendens certior fui factus de particulari maſſæ humoralis lenteſcentia in viſceribus imi ventris a viſcidorum ſaburra infarctis, qua de re introducto Aquæ potu epicratice blando leniente propinato adjectis fomentationibus cum eadem Aqua in regione abdominis, ſenſim per alvum educebantur excrementa bile amorcoſa, ſummeque viſcida referta; ſic namque a recrementorum colluvie expurgata maſſa humorali, ad Balnea ſe convertere juſſi ad numerum quadraginta, talique methodo inſtituta a paroxiſmis immunis extitit non ſolum dum

hic

hic permanebat, ſed etiam in poſterum nunquam redierunt, quamvis ad melius firmandam ſalutem ſequenti anno 1718. regreſſa eſt ad hæc Balnea, quibus uſa fuit majori alacritate, quam anno præcedenti.

OBSERVATIO XLIV.

Affectio hypocondriaca cum macie univerſali.

NObilis Abbas temperiei ſanguineo-bilioſæ ſtudiis, ac regimini addictus adeo vexatus erat animi paſſionibus, ut primaria fermenta depravata perciperentur, hinc ſequebantur ciborum averſio, dolor, attentio hypocondriorum, Capitis moleſta, atque continua ſenſatio, aurium murmur, ac aſſiduus ſibilus, macies, & exſiccatio univerſalis, membrorumque omnium laxitas. Ad enervandam acriorum ſalium manifeſtam energiam reiteratis purgationibus ſe ſubjecit abſque enarratorum ſymptomatum alleviatione; quapropter anno 1717. alkalica vi ſalubris Aquæ Nucerianæ, non ſolum uſu interno, ſed fomentationibus, atque Balneis ſpiculis erodentium ſalium enervatis, atque molli reddita ſolidorum compagine, tandem reſtituto hac methodo inter liquida, & ſolida debito æquilibrio, priſtinam ſalutem adeptus eſt abſque ulla recidiva in ſubſequentibus annis.

OBSERVATIO XLV.

Melancolico-hypocondriaco-ſpaſmologica affectio.

LAboravit æſtivo tempore anni 1718. Nobilis Vir Ætatis XXX. circiter annorum duplici, ſed ſpuria tertiana Febri, quæ uſu, ſeu potius abuſu corticis Chin Chinæ die ſeptima jugulata remanſit. Ab intempeſtivo Febris receſſu illico mæſtus eſſe cœpit, ſe mortuum adſtantibus prædicabat, & adeo increbuit affectus, ut nullis fidem daret amicorum perſuaſionibus; imo poſtea acriter odio haberet Genitorem, ac ſuam dilectiſſimam Uxorem, Liberoſque parvulos ſibi antea maxime gratos. Quamvis ut videret Uxorem venereis ſtimulis coactus cum ipſa velut inſanus rem habebat, inſatiabili coeundi libidine coarctatus. Demum querelæ acceſſerunt de perenni, & diro cruciatu in regione abdominis, veluti ſibi viſcera ab objecto externo dilacerari perciperet ab hiſce ſymptomatibus dies, ac noctes ut plurimum inſomnes tranſigebat; etſi potum averſabatur, fame potius ſe vexatum experiebatur. In hoc ſtatu pluribus ſe ſubjecit expurgationibus, ut emendata remanerent non ſolum primaria fermenta, ſed etiam acido-acria ſalia adeo exaltata non ſolum in maſſa ſanguinea, ſed etiam impreſſa in humore lymphatico, & in liquido nervorum; at cum egregius Patiens nullum perciperet levamen, ſe maleficiatum aſſerebat, ideoque

que ad ſpiritualia tentanda varia in loca ſe contulit, & ab Exorciſtis periculo inito, certior ſuit factus de cauſa naturali morboſa. Hinc denuo medicam exquirit opem, & vernali tempeſtate anni 1720. præmiſſa leni expurgatione ſe contulit ad uſum ſalubris Aquæ Nucerianæ. Advocatus, enarratam hiſtoriam attente audivi, & initio menſis Julii curationi operam dedi cum flore Caſſiæ, ac poſtmodum quia conſideravi ſolidorum compaginem criſpatam, denſam, ac rigidam, eaque magis illam inferiores ventris, ubi oculo judice conſpicue videbantur irregulares, ac diræ abdominis convulſiones criſpaturæ ſæpius recurrentes, quæ maximos patienti inferebant cruciatus, præſcripſi ad multos dies libram unam juris inſulſi, ac tenuis, in quo diſſolvebatur dracma una ejuſdem Terræ bolaris, & per horam a prandio fovebatur totum abdomen eadem ſola Aqua tepida, & tranſacta ſeptima die adjunxi uſum Balnei univerſalis. Hac methodo inſtituta qualibet die ex alvo deponere cœpit copioſam bilem amurcoſam, viſcidam, ac tenaciſſimam. Octo jam peractis balneis, & quiete permiſſa, ad iterum expiandas primas vias me contuli, quibus peractis, copioſum Aquæ potum percripſi, & non ſolum per urinarios canales tranſitum feliciter perſolvebat, ſed etiam per ſedem deponebat præfata excrementa amurcoſa. Poſt multos dies potus quantitate diminuta, iterum Balnea commiſi, quæ ultra quadraginta fuerunt adminiſtrata, ſed omnia abſque levamine nobilis Patientis, cui quamvis ſpaſmologicæ af-

fe-

fectiones fuiſſent aliquo modo alleviatæ , animalium functionem actiones eo magis confuſæ percipiebantur , adeout neſciebam , an illi ſatius prodeſſem ut Phyſicus , an ut moralis . Hoc ambiguo ſtatu Domum reverſus fuit abſque ſpe adipiſcendæ amplius ſalutis : Eique præſcripſi curationem pro autumnali tempore uti denuo per litteras in tempeſtate Veris anni ſequentis 1721. qua peracta iterum meo conſilio æſtivo tempore acceſſit ad hunc Fontem , & quamvis imaginarius fuiſſet æſtivus calor ab aſſidua pluviarum multitudine ſuperatus , attamen ad præcavendum rigidum aerem , majorique induſtria, ac diligentia curatione peracta , enervata fuerunt ſalium ſpicula , nervorum liquidum edulcoratum , reliqua fluidorum maſſa , atque fermenta emendata , ſolidorum criſpaturæ priſtinam adeptæ ſunt mollitiem , & tandem animales functiones amiſſam ſerenitatem acquiſiverunt , adeo ut Nobilis Patiens præter ſui expectationem exercitia tam mentis , quam œconomica feliciter nunc perſolvat , ſum certior factus anno 1724. qui reverſus eſt cum ſuo dilectiſſimo amico .

OBSERVATIO XLVI.

Affectio hypocondriaca-neſritica.

ADmodum Reverendus Pater Strictioris Religionis Minoritarum Reformatorum Definitor , & Concionator Ætatis annorum 48. & ſupra 30. jam elapſorum in præfata Religione tempe-

periei ſanguineo-melancolicæ anno ætatis ſuæ 32. maligna Febri correptus fuit, quæ validioribus remediis reluctans nullis criticis ſeparationibus, ſed potius ſymptomaticis, ſive coactis abſceſſibus obediens, in cancrenas deceſſit ſub utroque Iſchio dextero, & ſiniſtro, quæ ab inexperto Chirurgo tractatæ, profundam, ac maximam Cloacam produxerunt, ideo difficili, laborioſa, atque longiori curatione male adminiſtrata priſtinam, aut potius imperfectam ſalutem adeptus fuit Reverendus Pater, ſic namque natura viribus attrita, balſamicis particulis orbata valetudinariam vitam diu protrahere coactus fuit; quapropter acrimonioſis particulis liquidorum maſſa ad plenitudinem ſaturata, ideo vel cauſa Religioſæ auſteritatis, vel Prædicationis, vel cujuſvis mentis, aut corporis exercitii, vel animi paſſionum ſtatim experiebatur ultra dolorem in lumborum Regione urinas colore fuliginoſas, quæ copioſum, ac denſum ſedimentum referebant, & quandoque eaſdem emittebat cum ſenſu ardoris, & copioſo arenularum proventu, anno poſtea quadrageſimo Ætatis ſuæ calculis colore rubro, figura rotundis, & ſcabris vexari cœpit, a quibus ſemper frequentes recidivæ recurrebant; ſic namque liquidorum maſſa prædictis ſalibus ſaturata idem vitium impreſſum fuit etiam in ſolidas partes, a quibus omnibus non leves hypocondriacas affectiones ſuſtinuit, gravioribus comitata ſymptomatibus, adjunctis frequentibus pollutionibus inexpectato ſuccedentibus. Ad enervandam acriorum ſalium energiam repetitis purgationibus ſe ſubjecit abſque ſenſibili levamine,

mine, quod conſequutus fuit abſtinentia a vino, nam potu aquæ digeſtiones melius perficiebantur, & arenularum, atque calculorum copia diminuta reſultavit, præter hæc vividum colorem, robuſtas vires, laudabilem appetentiam, ac ſomnum præſeferebat.

Anno 1719. habita notitia hujus celebris Aquæ a me per Litteras conſilium expoſcit; attente conſiderata morbi hiſtoria ut retunderentur ſalium ſpicula in fluidorum ſinu luxuriantia, atque in ſolida jam impreſſa, uſum hujus Aquæ tam internum, quam externum commendavi. Conſilium non ſprevit, dum anno ſequenti 1720. Menſe Julii hunc Fontem petiit, & particulari methodo curatione exacte adminiſtrata, anno ſequenti 1721. iterum uſum Aquæ ſuſcepit, præmiſſa prima ſorbitione Aquæ cum maceratione ad multas horas optimæ radicis Chinæ, multiſque Balneis utroque anno adminiſtratis, enervata luxuriantium ſalium acrimonia, primiſque fermentationibus emendatis, ac per tranſpirationem mediis Balneis inductam, ſolidorum compage ſalinis particulis liberata, amiſſum æquilibrium fluidis, ac ſolidis reſtitutum remanſit, ideo amiſſam ſalutem præter ſui expectationem perfecte recuperavit.

OBSERVATIO XLVII.

Prægreſſa Lues Gallica uſu Aquæ Nucerianæ detecta.

NOn eſt amplius admiratione notabilis obſervatio ab eruditiſſimo Viro Annibali Camilli

li

li Medico, ac Patritio Nucerino conſcripta, nam ambo ſequentes caſus mihi obſervabiles fuerunt. Anno itaque 1719. Eques annorum circiter triginta temperaturæ ſanguineæ, habituque plenus utebatur proprio marte, fere nulla obſervata methodo, copioſo Aquæ potu, & quamplurimis Balneis, donec inopinato a ſæviſſimo dolore in inguine dextero vexatus, conſilium a me expoſcit, partemque explorando, Bubonem ex prægreſſa lue venerea optime figuratum adinveni, qui ab energetica vi Aquæ Nucerianæ, ob antecedens vitium in eiſdem glandulis impreſſum, ſeparatione, atque congeſtione inducta, ad ſuppurationem pervenit, & ſic convaluit.

OBSERVATIO XLVIII.

Venereus Bubo.

Altera, ac non diſſimilis obſervatio mihi contigit in quodam Mercatore annorum quadraginta, qui anno 1720. domicilium jam ſibi paraverat ad eumdem Fontem, in ejuſdem Porticu ſuas merces publicæ curioſitati expoſuit, ut concurrentibus adſtantibus pretium faciliori medio eriperet. Ideo tali occaſione mane, & veſperi copioſam Aquam potabat, at quia pluries a Lue venerea fuit vexatus, etiam huic Viro apparuit inguini ſiniſtro maximus Bubo, quo ſecundum artem curato, etiam ipſe in ſalute confirmatus remanſit.

OB.

OBSERVATIO XLIX.

Herpes exedens in Tibia.

ANno 1720. Ruſticus de Caſtro Collis ex Ditione Civitatis Nuceriæ, ad multos Menſes immanes ſuſtulit dolores in tibia dextera, quæ a genu uſque ad Pedis extremum exulcerata erat exedenti Herpete, & vernali tempore a me præſcripta rationali expurgatione, tandem æſtiva tempeſtate ad uſum Aquæ internum Patientem commiſi; donec ſpatio viginti dierum ejuſdem ſtillicidio peracto, exulcerata pars ad priſtinum reſtituta remanſit, præter quam rubedine obducta, nec amplius ullam ſuſtulit ejuſdem morbi recidivam.

OBSERVATIO L.

Diuturna affectio dyſſenterica.

ADmodum Reverendus N. Religioſus, ac ſacerdos Capuccinus Provinciæ Umbriæ cruento, ſeu dyſſenterico fluxu laboravit ultra tres Menſes continuatos, qui nullis ceſſit remediis quouſque uſu hujus celebris Aquæ de Menſe Julii a me præſcriptæ in eodem Cœnobio Civitatis, ſpatio triginta dierum circiter adminiſtratæ cum portione ejuſdem Terræ bolaris, ceſſit affectio, abſque ullo indicio recidivæ, quamvis præfatus Pater ſe denuo ſubjeciſſet Religionis auſteritatibus, ut

mihi retulit æſtivo tempore ſequentis anni 1722, qui meo conſilio reverſus eſt ad ejuſdem Aquæ uſum, ad hoc ut fluidorum maſſa acrioribus ſpiculis hoc nobili alkalico libera evaderet, ac ejuſdem ſalus confirmetnr, ut ex voto feliciter ſucceſſit.

OBSERVATIO LI.

Herpes Miliaris.

NOb. Mulier ætatis circiter quadraginta annorum, Viro juncta, ſed ſterilis, temperiei ſanguineæ, robuſta, ac floridi coloris, herpete miliari maximam partem extremi, atque dexteri pedis occupante laborare cœpit cum ardore, & aſſiduo dolore, pro quo debellando varia fuerunt tentata remedia, imo præcipue a viperatis majus detrimentum reportavit; Quapropter ad tentandam hujus morbi medelam anno 1721. etiam ſuorum Medicorum conſilio pervenit ad uſum Aquæ Nucerianæ, mea præſcriptione abſoluta exactiſſima curatione, ſcilicet uſu Aquæ interno, balneis, & ſtillicidio in dicta parte affecta, prorſus convaluit, remanente ſolummodo parte jam exulcerata rubicundo colore perfuſa; Ad magis firmandam recuperatam ſalutem quamvis abſque ullo reſiduo morbi reverſa eſt ad hunc Fontem, ad hoc ut magis edulcorata firmaretur fluidorum maſſa, cum repetitione uſus interni, & externi ejuſdem Aquæ.

OBSERVATIO LII.

Macies a ſubſequenti Abortu coacto.

NOb. Domina annorum circiter XXVII. temperamenti ſanguineo-melancholici, habitus potius gracilioris, jam Mater plurium Filiorum anno 1726. denuo utero gerendi ſuſpiciones aderant, at ob varia, & inuſitata ſymptomata, quæ Nobiliſſimam diverſimode, ac indeſinenter cruciabant, ad auxilia Medica confugere animum concitavit, Convocatis ideo pluribus Medicis, unanimiter ſuſpicantur de falſa gravidatione, & vice Fœtus, molare corpus utero gerere determinarunt; quapropter ſexto progrediente Menſe abortiva remedia tam mane, quam ſero quotidie propinata fuerunt per plures dies, ſed omnia incaſſum tentata erant, dum ex utero, vel ejuſdem vagina, nihil fluere viſum fuerit, donec tandem ſuaſu exteri Medici prædictis medicamentis derelictis octavo Menſe mortuum Fœtum in lucem edidit, deluſa opinione ſuorum Medicorum. Poſt abortum, febri correpta fuit, quæ copioſo ſudore ſeptima die jugulata remanſit, & ab his omnibus univerſali virium languore, ac macie affecta remanſit. Quare æſtivo tempore quamvis fractis viribus ad hunc ſaluberrimum Fontem ſe contulit, & meum expoſcit conſilium de omnibus attente conſideratis ad reparandam maciem, & virium languorem, originata a depravato fluidorum motu, & ab im-

pedita ſpirituum influentium expanſione, ob ſolidorum vitiatam compaginem evidenter criſpatam, denſam, ac rigidam ex prægreſſa macie. Curationem meditavi ſolo tenui juſculo de mane copioſe ebibito, ac paulò poſt uti balneo Aquæ ſalubris ad mediam horam; at quia ſenſibile levamen experiebatur in balneo, ſecunda die ad horam, & ſic ſequentibus diebus proſequebatur, adeout ſpatio paucorum dierum macies non ſolum evidenter modificaretur, ſed etiam priſtinas vires feliciter adepta fuerit. Quare non ſolum priſtinam acquiſivit ſalutem, ſed etiam eodem anno utero feliciter geſſit cum feliciori partu.

OBSERVATIO LIII.

Ictus Viperæ.

Ruſtica Mulier æſtivo tempore, quo frumentum paſſim ſecabatur, erat inſuper mea Colona, quæ dum idem opus exercebat a Vipera demorſa fuit in minimo digito pedis dexteri, de quo ſtatim edocta, & digitis unius manus vulnere contracto, & iiſdem in os immiſſis, paulò poſt in ſyncopem cecidit auriginoſo colore conſperſa, a qua aliquantulum levata, ejuſdem linguam in maximam molem elevatam, vocatus non levi admiratione conſpexi; ſolo namque uſu Terræ Nucerianæ in vino ſolutæ, plurieſque repetitæ, ſæpius vomitum ſuſtulit materiei flaveſcentis, & viridis, & ſic ſana remanſit abſque ulla veneni reliquia.

OB-

OBSERVATIO LIV.

Ictus Viperæ.

EOdem anno, ac menſe robuſta Juvencula de Caſaluna diſtrictus Civitatis Nuceriæ in acumine Montis diſtans a ſua Villula circa duo milliaria, demorſa fuit a Vipera in pede dextero, de quo evidenter admonita, ſtatim ligaturas exercuit ſupra vulnus inflictum, & quia erat ſola, ſtatim ab acumine montis quam citius deceſſit in adjacentem vallem, quo vix acceſſa, lipotymia correpta humi concidit, paulò poſt a binis Fœminis, & ſecum homine illac a proximioribus Villulis tranſeuntibus cognita, a præfata ligatura morbi cauſa ſemimortua Domum exportata fuit, ſtatim Parentes maximo conatu Terram hanc alexipharmacam vino ſolutam ad cochlearia Patienti propinabant, donec vomitu concitato, in vitam rediit, poſt quam iterum propinatam tandem in integrum convaluit, reſidua tumefactione totius Tibiæ ob validas ligaturas a domeſticis renovatas, quæ poſtea ceſſit applitione potus appropriari.

OBSERVATIO LV.

Præſervatio a Podagra.

REverendiſſimus Eccleſiaſtes affectionibus podagricis vexari cœpit, exemplo aliorum in

principio ad Fontes Nucerianos ſe contulit, ubi non ſolum uſum Aquæ internum, ſed etiam quamplurima Balnea exercuit, a quibus levamen a primis Annis expertus fuit, nam a recurrentibus inſultibus podagricis fere nihil afficiebatur, ideo ſingulis Annis æſtivo tempore eamdem purgationem hilariter repetebat; & ſic ad ultra viginti annos protraxit abſque refracta podagra; tandem in ultimo ſenio conſtitutus adhuc vivit hoc anno 1736.

OBSERVATIO LVI.

Gonorrhæa ſeminalis ut plurimum involuntaria.

NOb. Juvenis Fanenſis annorum circiter viginti ſex, temperamenti ſanguineo-melancholici, gracili corporis habitu dotatus diu conflictatus ab involuntaria, ac potius copioſa ſeminis ejaculatione, a qua in majorem incidit corporis emaciationem, ideo repetitis purgationibus ſe ſubjecit, a quibus tenue levamen ſemper expertus fuit, & eo magis timore perfundebatur ob jam prægreſſam mortem ſui dilectiſſimi Fratris præcedenti morbo hecticali; Quare inter tot medicabilia propoſitus ei fuit uſus Aquæ Nucerianæ cui ſe ſubjecit anno 1726. & meo conſilio Aquam ſimul cum eadem Terra Samia de mane capiebat, & adjunctis quamplurimis balneis præſcriptus morbus ſenſim remittebatur, adeout ſequentibus anni temporibus pollutiones rariſſime reverterentur, continuata interim inviolabili victus

ctus rationes, donec anno ſequenti eadem purgatione repetita, ſanus evaſit, & pro majori depuratione fluidorum, & ſolidarum partium roboratione; etiam tertio anno repetita eadem purgatione, ſortem habuit confirmandi ſuam ſalutem, & vale dicendi quibuſcumque aliis medicabilibus.

OBSERVATIO LVII.

Contractura Tibiæ dexteræ.

CLariſſimus Princeps anno 1734. ſe contulit ad Fontes Nucerianos cum contractura in genu dextero, ex qua non erat ei permiſſa extenſio Tibiæ, nec ambulare poterat aliter quam acumine pedis; Præmiſſo leniente, & Aqua, & balneis in uſum ductis, ſpatio quindecim dierum liberam extenſionem adeptus fuit, & priſtinam libertatem in ambulando acquiſivit.

OBSERVATIO LVIII.

Ulcus Calloſum in Collo Urethræ.

EGregius Eques annorum quadraginta, temperamenti ſanguinei, habituſque plenioris, occaſionali, ac recurrente gonorrhæa celtica vexatus, pro qua debellanda repetitis purgationibus ſe ſubjecit, at in collo veſſicæ reliquias expertus fuit ulceris calloſi, a quo non ſolum gemebant ſeminales particulæ, ſed etiam impedi-

mento erat ad liberam Urinæ excretionem; Ideo pro detergendis, ac modificandis reliquiis acriorum ſalium a prægreſſa venerea lue jam impreſſorum in liquidis, ac ſolidis partibus anno 1734. fuit demum determinata, ac perfecta curatio cum Aqua Nuceriana ſimul cum ejuſdem Terra Samia, a cujus copioſo uſu non ſolum per urinarios canales viſcidulæ particulæ, ſed etiam per ſeceſſum amurcoſæ, & tenues congeſtiones abſque moleſtia expurgabantur, quibus ob pororum inordinatam configurationem non erat conceſſus aditus ad cutis ſpiracula, jam multo tempore occluſa reddita; hac methodo ſumma diligentia patienter adminiſtrata emendata remanſit fluidorum maſſa, & laxata ſolidorum rigida compagine reſtitutus eſt liquidis impeditus circularis motus, a quibus omnibus tempeſtates autumnalem, & hyemalem optime tranſegit, Unde egregius Vir anno ſequenti 1737. ad magis depurandam fluidorum maſſam a reſidualibus ſalibus, adque firmanda fermenta, iterum rediit ad hunc Fontem quamvis bene valens, & cum libertate ſe exercendi ad motum, & cum ſalute magis confirmata.

OBSERVATIO LIX.

Iſcuria Veſſicalis.

ADmod. Rever. Pater ex venerabili Capuccinorum Cœtu ætatis ſuæ annorum 50. jam ab anno vexari cœpit ad ſæpe mingendum in parva quantitate, & cum diro cruciatu in principio, & fine

& ſine mingendi, & ſummum ardorem concipiebat dum urina jam fluebat: a curatione jam peracta doloris inducias per aliquot dierum ſpatium experiebatur, poſtea incurſus acrimoniæ, & doloris revertebantur, quamobrem hoc æſtivo tempore anni 1737. ad corrigendam luxuriantium ſalium acrimoniam propoſitus fuit uſus Aquæ Nucerianæ, quo exacte peracto ſpatio vigintiquatuor dierum, perfecte convaluit.

OBSERVATIO LX.

Iſcuria.

HOc eodem anno Religioſus Laicus de eodem Capuccinorum Cœtu jam a duobus annis eodem morbo laborabat cum adjuncta partium hæmorrhoidalium tumefactione, eodemque modo ac ſupraſcriptus divexabatur doloribus, & difficultate mingendi, curatione hujus Aquæ una cum Terra Samia per ſpatium unius Menſis patienter inſtituta, in totum convaluit, etiam emendata hæmorrhoidalium partium tumefactione.

OBSERVATIO LXI.

Affectio hypocondriaco-ſpaſmodico-convulſiva.

REverendiſſimus Pater Abbas ex Monaſtico Cœtu Canonicorum Lateranenſium ætatis annorum quinquaginta octo doctrina præclarus ex coacta ſpeculativa applicatione etiam imme-

diate poſt paſtum ſeveriter adminiſtrata, incidit jam a duobus annis in convulſivas, & univerſales nervorum affectiones, nam ex quavis mentis attentione, ſive determinatione ad legendum, & legenda proferendo, illico ſuccedebant ſenſibiles adſtantibus ventris inferioris ſubſaltus, & borborigmi, poſt quos difficulter emiſſis flatibus præcipue per os ſtatim convellebantur caput, mandibula inferior, & brachia, quæ varie contorquebantur, & in hoc ſtatu permanebat per horæ ſemiquadrantem, & dum levi applicationi ſe ſubjiciebat, prompte recurrebant præfata ſymptomata, adeout Reverendus Pater nec ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, nec Divinum Officium, nec ſibi addictum Gubernium ab eo tempore exercere valuerit. In hoc ſtatu ad ſpiritus quodammodo ſublevandos, & otium præcavendum ſe exercebat Ruſticis inſtrumentis, hortum, & illius fruges diligenter colendo; tandem digniſſimus Eques ægre ferens miſerrimum, & diuturnum ſtatum hujus egregii Religioſi intima ſecum amicitia conjuncti, poſt prægreſſum a me conſilium exhortatus eſt eum, ut abſque mora ſe conferret hoc æſtivo tempore anni 1738. ad uſum hujus ſalubris Aquæ, cujus curationi ſe ſubjecit de Menſe Julio, præmiſſo leni medicamento, tenui quantitate Aquam potare juſſi, & ſecunda die ad balnea principium dedit, ſic tranſactis ſex diebus Aquam in majori quantitate potandam juſſi, a cujus uſu ultra urinarum proventum, per ſeceſſum quotidie mane emittebantur excrementa bilioſa, viſcida, & amurcoſa non in parva quantitate: Tali dili-

gen-

gentia inſtituta, per ſeceſſum, & per urinas depurata ſunt hypocondria, & fluidorum maſſa a tenaci, & viſcida diſcraſia, & laxatis cutis ſpiraculis ope quamplurium balneorum, tranſpiratione adaucta in ſolidas partes omnes morboſæ impreſſiones tollebantur; Ideo Reverendiſſimus Pater a ſenſibilibus ſeparationibus medio curationis tempore levamen adeo acquiſivit, ut deperditam animi hilaritatem iterum adeptus fuerit, & eo magis, quia mentis applicationes paulatim abſque ulla moleſtia reaſſumebat, & majorem hilaritatem obtinuit, dum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & Pſalterium abſque ulla difficultate ſequenti Menſe Septembris exequebatur. Ad magis poſtea firmandam recuperatam ſalutem, & ad tollendas reliquias exoticorum ſalium, in fermenta, & in ſolidorum maſſam hoſpitantium, duobus ſubſequentibus annis continuavit.

OBSERVATIO LXII.

Affectio vertiginoſa cum initiante Epilepſia.

NObilis Juvenis Ætatis annorum XXV. Temperamenti ſanguineo-lymphatici, & conſequenter coloris pallidi, in mediocri corporis habitu conſtitutus, ſtudiis deditus, ob Alvi ſtypticitatem in tenebricoſam vertiginem ponebatur, quæ immediate cedebat poſt uſum alicujus Clyſteris, cui morbo ſe ſubjecit in ſua recenti ætate annorum XIV. Progreſſu temporis a præcedenti ſtypticitate paroxiſmi vehementiores, dum

prægreſſa undulatione viſibilium objectorum præceps humum ruebat, adjunctis motibus membrorum convulſivis cum abolitione ſenſuum internorum, & immemor reddebatur de omnibus poſt ceſſationem paroxiſmi, qui variis temporibus recurrebat. Poſt hæc capitis gravitate, quandoque undulatione affligitur, & ultra tinnitum aurium perſentit ebullitionem aliquam inſtantaneam, ſeu raram cum diminutione apprehendendi res ſtudioſas, mœſtus tunc eſt, quia majora timet; multa exacte fuerunt tentata, ad hoc ut emendarentur hypocondriorum fermenta ab excedenti putri Cacochilia nimium inſarcita, & ad reducendam ad priſtinum ſtatum depravatam chyloſim ultra cephalica ad compeſcendum inordinatum Animalium ſpirituum motum, at nobilis Patiens tenue levamen adeptus eſt. Quare hoc anno 1739. à ſuis Medicis fuit ei impoſitus uſus Aquæ Nucerianæ, pro quo exequendo a me conſilium petivit, & cum tali directione laudabiles effectus conſequutus eſt, nam etiam per ſeceſſum educebantur fere ſingulo mane excrementa viſcida, & amurcoſa poſt potum Aquæ cum tota Patientis conferentia, & ſolummodo cum balnea exercebat, aliqualem, & mitem undulationem perſentiebat, tandem potu Aquæ, & multis balneis in uſum ductis in meliorem ſtatum, & hilariorem animum redactus eſt.

OBSERVATIO LXIII.

Herpeticæ exulcerationes.

Religioſus ex Capuccinorum Cœtu ætatis annorum circiter 57. temperamenti ſanguinei, ſtatura procerus, natus ex illuſtri Proſapia, carnium colore vivido, & pulcherrimo dotatus, poſt variam peregrinationem peractam in varias partes, & præcipue per Regiones Gallicas, & Londinenſes, ultra incommoda itineris plures, & conſiderabiles ſuſtulit animi moleſtas agitationes, eo gradu adductas, cum termino experiendi ſuum ultimum exitium, quibus tandem perbelle ſuperatis Italiam reverſus, ſic homo provectus pauló poſt præfatam Religionem amplexus eſt, cujus Strictiori Obſervantia adamuſſim ſervata ad plures annos anſam dedit, ut fluidorum maſſa paulatim ſatura evaderet peregrinis ſalibus, qui evidenter effloreſcere cœperunt per caput, faciem, collum, brachia, & membra inferiora, in aliquibus ſub forma ſalſuginoſa, & in quibuſdam partibus herpetica; peracta methodica expurgatione æſtiva tempeſtate anni 1740. Aquæ Nucerianæ uſu tam interno, quam externo ſalutem recuperavit.

OBSERVATIO LXIV.

Molarum, & Polyporum uterinorum recurrentes Abortus.

EXcellentiſſima Domina ætatis annorum XXX. temperamenti ſanguineo-melancolici, in mediocri corporis habitu conſtituta, jam Mater plurium Filiorum, ob varia, & longa itinera, ac diverſa vitæ incommodæ ſpatio decem, & octo Menſium quinque abortus ſuſtulit, at omnes ex falſo Fœtu, nam erant congeſtiones carnoſæ informes, & quandoque Polypi molares, dicti uterini, ideo Romæ ad præcavendum tale infortunium purgationibus ſe ſubjecit, ſic diſpoſita pervenit ad Nuceriæ Balnea anno 1739. Ubi uſum aquæ internum, & quamplurima Balnea ſuſcepit, attamen ſequentibus Menſibus iterum ab altero conſimili Abortu vexata fuit, regreſſa ad hæc Balnea anno ſequenti 1740. & eadem purgatione abſoluta tam uſu interno Aquæ quam Balneis, & interna Duccia in utero, tempore autumnali noviter gravida remanſit, & ad conſuetum tempus maſculum infantem in lucem edidit.

OBSERVATIO LXV.

Herpes miliaris, & exedens.

NOb. Infanti ex Illuſtri Civitate Lombardiæ conſilio ſuorum Medicorum uſus Aquæ Nuce-

cerianæ præſcriptus fuit, vocatus eum inveni cum tota Tibia dextera æqualiter exulcerata herpete miliari, & partim exedente a genu uſque ad extremum pedis, prurigine, & dolore continuo affligebatur, & ideo ut plurimum noctes inſomnes tranſigebat, morbus nequaquam erat recens, ſed jam a ſeptem annis impreſſus, & quamvis curationi ſubjectus permanſiſſet, teneræ ætati reſpondenti, tamen medica auxilia tam interna, quam localia incaſſum tentata fuerunt, & morbus rebellis perſeverabat. Quare a ſuis Medicis remiſſus fuit ad uſum Aquæ Nucerianæ, quæ a me directa fuit per modum internum, & externum per balnea, & per Ducciam affectæ, ſive exulceratæ Tibiæ in principio, (uti jam ante narravi,) omnia moleſtiora reſultarunt, nam pruritus, & dolorificæ ſenſationes magis exaltatæ apparuerunt; in progreſſu quamvis remiſſius eum torquerent ſoluta ſalia mediantibus continuatis Balneis in motum concitata per cutis ſpiracula ſibi aditum aperuerunt cum univerſali efflorescentia, neque excepta facie, hinc inde diſperſa ſub figura ſcabiei, & latarum puſtularum, inde pruritus, & dolor vigorem ſuſceperunt ad multos dies, poſtea paulatim remittebantur, in progreſſu modificatis ſalibus, & dulciori reddita fluidorum maſſa, ſenſim meliora reddebantur præfata dira ſymptomata, & primævæ exulcerationes Tibiæ cicatrizari cœperunt, ut per Literas a Foro Livio mihi datas principio Menſis Octobris eſſe confirmatum in meliorem ſtatum, & abſque recurrentibus dolorificis ſenſationibus,

at-

atque pruritus moleſtis, mihi conſtat. Ad firmandam autem hujus Nobilis Infantis ſalutem requiritur, ut ſequentibus annis denuo ſe committat ad uſum Aquæ, unaque Balneorum.

OBSERVATIO LXVI.

Herpes Miliaris Ulceroſus.

PRo Coronide præſcriptarum Obſervationum notabilis ſequens hiſtoria, quam in tam diuturno Medicæ Artis exercitio mihi nunquam advertere contigit.

Reverendus Parochus ſancti Juvenalis parum diſtantis a Civitate Nuceriæ ætatis annorum quinquagintaquinque, temperiei ſanguineo-melancolicæ, gracili habitudine corporis dotatus, adeo ſanus, & vegetus, ut tempore vacuo ab exercitio ſuæ addictæ Eccleſiæ, venatione, & piſcatione, per hæc flumina delectaretur. De repente Menſe Junii anni 1740. per totum ipſius ambitum cutaneum veſſicæ ſeroſitate acerrima turgidæ apparuerunt, quæ poſtea diſruptæ emanabant ſerum acre, & ablata Epidermide remanebat ſubjacens cutis conſperſa miliari efflorescentia, quæ poſtea majorem expanſionem a ſe ipſa acquirebat; hujuſmodi herpetes miliares ulceroſi diſſeminati conſpiciebantur per totam faciem, & caput, neque excepta parte, quæ a capillis tegitur, ultra obſervabantur diſperſa per collum, brachia, dorſum, pectus, abdomen, perque nates, coxas, & tibias, uno verbo

totum cutaneum ambitum occupabant. Vocatus demirari non deſinebam, quomodo in iſtanti abſque uno, vel minimo præcedenti morbo potuiſſet ſecum gerere, tam pravam diſpoſitionem aptam ad manifeſtandum, tam luridum & atrocem morbum, a quo miſer Sacerdos lancinantibus, & eroſivis doloribus continuo, & abſque ulla intermiſſione cruciabatur ſic (ut dicam) decorticatus, aſpectu horrorem omnibus concitabat, totum conclave tetram exhalationem ſpirabat, emanando acido-acre ſulphureum, quod a quibuſcumque Adſtantibus tolerari nequiret. Stragula omnia in iſtanti conſpurcata videbantur craſſa, putrique lympha, copioſo ſanguine conſperſa, quid plura? A ſale acri vitriolico eroſivo quod copioſe hoſpitabatur in univerſa liquidorum maſſa, & præcipue in glandulis, & eorum lympha deduxi cauſam, ſtatim ad Balnea hujus ſalubris Aquæ eum commiſi in propriis ſuis Ædibus, nam parum diſtabant a Fontibus, dum in Balneo permanebat quietem, & velut ſolatium experiebatur, poſt Balneum anxietates, & dolores lancinantes in promptu erant; ordine proceſſit morbus uſque ad duodecimam diem, qua tranſacta, dolorificæ ſenſationes paſſim, ac paulatim remittebantur, adeout levem quietem, & nocturnum ſomnum, quamvis interruptum acquirere cœperit. Contitinuatis Balneis, & uſu interno Aquæ cum Terra Samia, vigeſimaquinta die ad ſtatum convaleſcentiæ pervenit, & poſt alios quindecim dies perfecte ſanus evaſit abſque ulla præcedente morbi reliquia.

De-

Denique ſit finis Obſervationum ; quas notâbiliores inter plurimas mihi contigit uſque ad præſens tempus præſcribere.

FINIS.



INDEX.

PARS PRIMA.

De interno Aquæ Nucerianæ uſu. pag. 4
Caput I. De genuina Laticis Nuceriani hiſtoria. ib.
§. 1. De ſcaturigine Laticis Nuceriani. ib.
§. 2. De priori Latici Nuceriani inventione. 10.
§. 3. De genericis Aquæ Nucerianæ dotibus, quæ eam perfectiſſimam conſtituunt. 14.
Caput 2. De minera Aquæ Nucerianæ. 17.
§. 1. De indole, & Natura Mineræ abunde in Nuceriano Latice hoſpitantis. ib.
§. 2. De qualitatibus, & attributis Nucerianæ Terræ. 20.
§. 3. De quapiam Tartari ſpecie ex Nucerina Terra reſultantis. 27.
Caput 3. De morbis, quibus certiſſime occurrunt tum Terra, tum Aqua Nuceriana. 30.
§. 1. De peculiaribus morbis, quibus certiſſime medetur Nuceriana Terra Samia. 31.
§. 2. De præcipuis morbis, quibus indubitanter occurrit Nuceriana Aqua. 34.
§. 3. An uſus Aquæ Nucerianæ per potum ſumptæ venerea lue affectis congruat. 38.

Ca-

Caput 4. *De recta ac medica Aquæ Nucerinæ potandæ norma.* 41.
§. 1. *De congruo, aptoque tempore, quo ſumi debeat Aqua Nuceriana.* ib.
§. 2. *De modo Aquæ Nucerianæ ſalubriter epotandæ.* 43.
§. 3. *De quantitate Nuceriani Latici a Purgantibus epotandi.* 48.
§. 4. *De nonnullis vexationibus pleriſque purgantibus evenire ſolitis, ac de obvia, rectaque illis occurrendi regula.* 49.

PARS SECUNDA.

De *externo Aquæ Nucerianæ uſu.* 52
Caput 1. *De Balneis.* ib.
§. 1. *De iis, qui a Balneis abſtinere jubentur* 53.
§. 2. *De his, qui balneis uti permittuntur, & jubentur.* 56
§. 3. *De exacta, ac medica ſe levandi methodo.* 58.
Caput 2. *De ſtillicidio, vulgò Duccia.* 60.
§. 1. *De cutaneæ Ducciæ uſu.* 62.
§. 2. *De occulta, ſive cœca Duccia.* ib.
Caput ult. *De victus, ac diætæ ratione a Purgantibus ſedulo ſervanda.* 65.
§. 1. *De ciborum delectu in purgatione adhibendorum.* 67.
§. 2, & ult. *De nonnullis in Aquæ curatione abſtinentiis, nulla prorſus ratione vitandis.* 71

PARS

PARS TERTIA.

Obſervatio 1. *ADnotatia in peſtilentibus Febribus.* 77
Obſ. 2. *Ictus Viperæ.* 78
Obſ. 3. *Ictus Araneæ Virulentis.* ib.
Obſ. 4. *Hydrops aſcitus.* 79
Obſ. 5. *Affectio Arcthetica.* ib.
Obſ. 6. *Lepra.* 80
Obſ. 7. *Ulcera Tibiarum.* ib.
Obſ. 8. *Vomitus contumax.* ib.
Obſ. 9. *Pruritus univerſalis cum Puſtulis.* 81
Obſ. 10. *Scabies Gallica.* ib.
Obſ. 11. *Venenum ab halitu ſerpentis.* 82
Obſ. 12. *Ictus Viperæ.* ib.
Obſ. 13. *Ulcera Liuguæ ſordida.* 83
Obſ. 14. *Tumor, & torpor cum inflammatione in Tibia.* ib.
Obſ. 15. *Hepatis obſtructio.* 84
Obſ. 16. *Obſtructiones Viſcerum Abdominis.* 85
Obſ. 17. *Salſedo in Facie.* 86
Obſ. 18. *Herpes Miliaris.* ib.
Obſ. 19. *Gonorrhæa Gallica, & Pudendorum ulcera.* 87.
Obſ. 20. *Hydrops Aſcites.* 88
Obſ. 21. *Gallica Lues.* 89
Obſ. 22. *Gallica Lues.* ib.
Obſ. 23. *Hæmorrhoidalis Tumor.* 90
Obſ. 24. *Stranguria.* ib.
Obſ. 25. *Urinæ Incontinentia.* 91
Obſ. 26. *Gallica Lues.* ib.

Obſ.

Obſ. 27. *Apum Ictus.* 92
Obſ. 28. *Erpes Exedens.* ib.
Obſ. 29. *Pruriginoſa affectio cum puſtulis.* 93
Obſ. 30. *Frequentes Abortus una cum Uteri, atque narium hæmorrhagia.* 94
Obſ. 31. *Ophtalmia Gallica.* ib.
Obſ. 32. *Tumefactio, & inverſio Palpebrarum oculorum inflammatione.* 95
Obſ. 33. *Ictus Viperæ in jumenta!* 96
Obſ. 34. *Ictus Viperæ.* 97
Obſ. 35. *Ictus Viperæ in Cane.* ib.
Obſ. 36. *Cruſtacea Scabies.* 98
Obſ. 37. *Urinæ Ardor.* ib.
Obſ. 38. *Affectio ſcorbutica.* 99
Obſ. 39. *Fluor Albus.* 100
Obſerv. 40. *Spaſmalogico-hypocondriaci dolores cum macie.* 101
Obſ. 41. *Scorbutus.* 103
Obſ. 42. *Dyſuria, ſeu Urinæ Ardor.* 104
Obſ. 43. *Vertigo tenebricoſa cum initiante Epilepſia.* 105
Obſ. 44. *Affectio hypocondriaca cum macie univerſali.* 106
Obſer. 45. *Melancolico-hypocondriaco-ſpaſmologica affectio.* 107
Obſ. 46. *Affectio hypocondriaco-nefritica.* 109
Obſ. 47. *Prægreſſa Lues Gallica uſu Aquæ Nucerianæ detecta.* 111
Obſ. 48. *Venereus Bubo.* 112
Obſ. 49. *Herpes exedens in Tibia.* 113
Obſ. 50. *Diuturna affectio dyſſenterica.* ib.
Obſ. 51. *Herpes miliaris.* 114

Obſ. 52. *Macies a ſubſequenti abortu coacto.* 115
Obſ. 53. *Ictus Viperæ.* 116
Obſ. 54. *Ictus Viperæ.* 117
Obſ. 55. *Præſervatio a podagra.* ib.
Obſ. 56. *Gonorrhæa ſeminalis ut plurimum involuntaria.* 118
Obſ. 57. *Contracturæ Tibiæ dexteræ.* 119
Obſ. 58. *Ulcus calloſum in collo urethræ.* ib.
Obſ. 59. *Iſcuria Veſſicalis.* 120
Obſ. 60. *Iſcuria.* 121
Obſ. 61. *Affectio hypocondriaco-ſpaſmodico-convulſiva.* ib.
Obſ. 62. *Affectio vertiginoſa cum initiante Epilepſia.* 123
Obſ. 63. *Herpeticæ exulcerationes.* 125
Obſ. 64. *Molarum, & Polyporum uterinorum recurrentes Abortus.* 126
Obſ. 65. *Herpes miliaris, & exedens.* ib.
Obſ. 66. & ult. *Herpes Miliaris Ulceroſus.* 128

FINIS.

Alcuni Libri di Medicina modernamente ſtampati da me Giuſeppe Corona, e che ſi vendono alla mia Bottega in Venezia, in Merceria all'Inſegna del Premio.

COnſulti Medici di Profeſſori diverſi, ſpiegati con le migliori dottrine moderne, e con le regole più eſatte della Scienza Meccanica, Raccolti dal Dottore *Gaetano Armillei* d' Ancona, e Medico in Ripatranſona, in 4. Vol. 2. al ſecondo de' quali hò aggiunto altro piccol Volume col titolo: Conſultationum Medicarum Centuria, a variis Doctiſſimis Profeſſoribus juxta Neotericorum placita exarata: addito Corollario quarumdam Diſſertationum ad rem Medicam facientium, & ſcitu non inutilium. L. 12

Antonii Felici Phil. & Medic. Doctor. de Tuenda Valetudine lib. IV. in 8. L. 1.

De Morbis Artificum Diatriba Mutinæ olim edita; nunc accedit ſupplementum ejuſdem argumenti, ac Diſſertatio de Sacrarum Virginum valetudine tuenda. Auctore *Bernardino Ramazzini* in Patavino Gymnaſio Practicæ Medicinæ Profeſſore Primario, in 8. L. 2.

Trattato nuovo della cura de' Cancri, in cui con tal occaſione ſi diſcorre degli Sirri, Carcinomi, Polipi, Scrofole, Fiſtole, ed altri Tumori pertinaci, e mali di cura difficile, che vengono in ogni parte del corpo umano. Tradotto dal Franceſe, in 8. L. 15.

Opere Mediche, e Chirurgiche di Fulvio Gherli diviſe in Tomi 6. in 8. L. 15.

A520560

Digitized by Google

Digitized by Google

95. a. 3

BIB
V